# DE
# EXSTIRPATIONE TVMORVM
# IN MAMMA

GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS

CONSENSV

PRO SVMMIS

IN ARTE MEDICA HONORIBVS

A. D. XIII MAII CIↃIↃCCLXVIII.

DISPVTABIT

CHRISTIANVS ERHARDVS KAPP

LIPSIENSIS

MEDICINAE BACCALAVREVS.

---

LIPSIAE

EX OFFICINA LANGENHEMIA.

WELLCOME INSTITUTE LIBRARY

# VIRO

MAGNIFICO EXPERIENTISSIMO

EXCELLENTISSIMO

# CHRISTIANO GOTTLIEB LVDWIG

PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE DOCTORI CELEBERRIMO
IN ACADEMIA LIPSIENSI THERAPIAE PROFESSORI PVBLICO ORDINARIO
ORDINIS MEDICORVM DECANO PERPETVO ACADEMIAE DECEMVIRO
COLLEGII MAIORIS PRINCIPVM ET COLLEGII BEATAE MARIAE
VIRGINIS SODALI ACADEMIAE REGIAE BORVSSICAE
ET SOCIETATIS BOTANICAE FLORENTINAE
SOCIO

# FAVTORI ET PRAECEPTORI

OMNI OBSERVANTIA ET PIETATIS CVLTV
VENERANDO

LIBELLVM HVNC ACADEMICVM

GRATISSIMAE MENTIS PIGNVS

CVM

ARDENTISSIMIS PERENNIS PROSPERITATIS VOTIS

RELIGIOSO MENTIS CVLTV

OFFERT

CHRISTIANVS ERHARDVS KAPP.

DISSERTATIO INAVGVRALIS

DE

# EXSTIRPATIONE TVMORVM IN MAMMA.

---

## §. I.

*Inſtituti ratio.*

Non arbitramur in huius diſputationis, pro academiarum more, atque ex Praeceptorum noſtrorum Venerandorum voluntate nunc inſtituendae ingreſſu, aut longam quaeſiti argumenti hiſtoriam ſcribendam, aut ſumti defenſionem agendam nobis eſſe. Solent enim, qui aequiores volunt videri, iuuenilis ſtudii edendique primi doctrinae ſpeciminis aeſtimatores, id facillime cuiusque ingenio animique quaſi propenſioni liberum relinquere, vt, in quo quis maxime, minus inuita, vt aiunt, Minerua, aliquid audere ſe poſſe exiſtimet, in eo etiam prae ceteris experiatur vires ſuas. Atque nosmet ipſi, freti iſta conſuetudinis liberalitate, ſecuti ſumus eandem animi propen-

ſionem, illudque vnum caventes, ne in eiusmodi quandam cauſſam incideremus, quae nimis late pateret ac longiorem requireret diſputationem, quam ferre eiusmodi libelli modulus videretur; lubenter indulſimus ingenio, ex arte chirurgica petenti deſcriptionem operationis ſimplicitate et breuitate ſua prae aliis commendabilem. Delegimus itaque ſectionem ſcirrhi et carcinomatis in mammis mulierum, in quam velut per aliquot abhinc annorum ſpatium intenderamus noſtrum qualecunque ſtudium, ita etiam, collectis quibusdam obſeruationibus, illuſtrare eandem nos poſſe, adiutos maxime Praeceptorum Fautorumque benignitate, exiſtimauimus. Quae operatio cum neque nimis longam diſputationem requirere, neque aliena omnino eſſe videretur ab eorum ſtudiis, quibus maxime haec ſcribuntur; eo facilius noſtrum hoc inſtitutum, etſi non omni ex parte, tamen ſic probatum fore ſperamus aequis harum rerum arbitris, vt, etiamſi ſenſerint defuiſſe vires, nihilominus voluntatem probent.

## §. II.

*De ſcirrhi et cancri mammarum curatione in uniuerſum.*

Quemadmodum quotidiana quemque docet experientia, in vniuerſum foeminarum corpora longe pluribus morbis ſubiecta eſſe, quam virorum, ita quoque mammas muliebres pluribus affectionibus morboſis expoſitas videmus, quam virorum mammas. Poteſt quidem in virorum quoque glanduloſa iſta parte ſcirrhus et cancer naſci: atque haud raro ita fit, vt in copioſa pinguedine, qua in obeſis potiſſimum viris mammae circumdantur, tumores oriantur tunica incluſi, ipſeque adeps cum celluloſa tela induretur, abeatque in ſcirrhi ſpeciem: qui quidem tumores omnes, curatione vel plane neglecta, vel male ſaltem inſtituta, aut vniuerſa corporis cacochymia aucta, carcinomatici fiunt [a]). Interim

a) Cancrum in mamma viri obſeruauit FABRICIVS AB AQVAPENDENTE. *Oper. Chir.* p. 58. Tales exſtirparunt HILDANVS *Obſ. Chir.* Cent.

rim tamen haec aliaque ſimilia mala, longe frequentius in mulierum mammis euenire videmus. Illae enim ob ſitum et magnitudinem variis iniuriis expoſitae, haud raro ictu aut thoracis preſſione laeduntur. Porro inſignis, quae iisdem cum vtero intercedit coniunctio, efficit, vt multis modis in grauiditate, poſt partum, in lactantibus aeque, ac non lactantibus, tandemque per menſtruorum ſuppreſſionem aut ceſſationem afficiantur. Accedit etiam hoc, quod, ob lentum humorum in mammâ circulum, et chyli nondum ſatis elaborati naturam, nullius humoris facilius exiſtat coagulum et ſtagnatio, quam lactis. Fiunt igitur in mammis ſcirrhi non tantum lenta obſtructione, ſed et frequenter poſt inflammationem intempeſtiue ſuppreſſam et abſceſſum male curatum: vt taceam ſtrumas, ſcirrho affines [b]), vlcera fiſtuloſa ex abſceſſu in ipſo corpore mammae collecto nata [c]), aliaque mala quae haud raro carcinomatis naturam

I. Obſ. 89. BIDLOO *Exerc. Anat. Chir* p. 157. GORIZIVS *Ephem. Nat. Cur.* Cent. VIII. Obſ. 19. Tumorem ſcirrhoſum in mamma cauponis obſeruauit HEISTERVS in Diſſ. *de opt. cancr. mam. exſt. rat.* in HALLERI *Diſſ. Chirurg.* T. II. p. 514. vt alios taceam. Et in noſtra quoque vrbe ante aliquot annos in viro LIV. annorum, ex obeſitate cacochymico, ſteatoma, in mamma dextra natum, ovi gallinacei magnitudinem habens, exſtirpatum quidem eſt, verum, cicatrice clauſa, non ſolum alius ingens tumor locum prioris occupavit, ſed et ex cicatrice ipſa caro fungoſa carcinomatica propullulauit. Haec tamen omnia iterum, partim ferro, partim cauſticis deſtructa ſunt, vulneriſque conſolidationem chirurgus de nouo obtinuit. Cum vero aeger rationem diaetae praeſcriptae nullam haberet, et tenuis cicatrix motu aliquo corporis violento iterum rumperetur, apertus demum cancer natus eſt, hominemque e vita ſuſtulit.

b) Tales obſeruauit chirurgus MEGES apud CELSVM L. V. c. 28. n. 7. SCHELHAMMER *Ephem. Nat. Cur.* Dec. III. Ann. IX X. p. 153. Confer M. AVREL. SEVERINVM *de nov. obſ. abſceſſ.* Cap. V. et IX. §. 9. it. GESSCHER *over de voornamſte langduurige gezwelln* p. 24. In univerſum veteres in definitione ſtrumae inter ſe differunt et difficulter conciliari poſſunt, cum nonnunquam paruos tumores tunica incluſos, vel glandulas obſtructas ſolitarias et conglobatas, vel tandem partem glandulae conglomeratae, quae prehenſa digito huc illucque adhuc diſtrahi poſſit, hoc nomine inſigniuerint. Conſentiunt tamen ſtrumas deteriores et contumaciores eſſe glandulis.

c) Vid. NANNONI *delle maladie delle mammelle* p. 83. et ASTRVC *Malad. des fem.* T. VI. p. 145.

ram induunt d). Poſſunt tamen ſcirrhi ſubinde in ſanis corporibus, nulla imprudentia curantis in peius mutati, ad vltimam ſenectutem ſine periculo protrahi. Nonnunquam niſi malum nimis iam increuerit, longiore temporis tractu, vitae genere mutato cauſſisque mali ceſſantibus, ſponte reſoluuntur e). Saepius quoque medicamentis, cum cacochymiae in vniuerſum oppoſitis, tum in ſpecie reſoluentibus maxime ſpecificis tolluntur, ſi quidem iſta a medico, prudenter iustaque cum cautione, adhibeantur, ſic, vt et cauſſarum et diaetae ratio habeatur, et topicorum medicamentorum applicationi internus aptorum remediorum vſus adiungatur. Qua in re cum ſciamus ſaponacea, etſi egregium nonnunquam effectum praeſtent, tamen, vbi malum nimis invaluerit, ſaepe non ſufficere: ſaturninorum vero virtutem, a nonnullis tantopere praedicatam, nondum experientia ſatis confirmatam eſſe f): atque cum porro

d) In omni hoc libello *ſcirrhum* dicimus tumorem indolentem, ex obſtructione pertinaci glandulae natum: *carcinoma*, *cancrum occultum*, *ſcirrhum motum* aut *carcinomaticum tumorem* illum nominamus, cuius in cancrum procliuitatem dolores, in eo orti, oſtendunt, ex quo autem nullus ichor cute rupta, exſudat, licet interius in tumore talis in cauum aliquod haud raro collectus ſit: *cancrum* tandem, *carcinoma exulceratum* vel *apertum* tanquam ſynonyma ad illum humoris ſtatum, vbi cutis laeſa iam eſt, deſignandum vſurpauimus. Nonnunquam tamen *cancri* et *carcinomatis* nomine promiſcue quoque vſi ſumus.

e) Rarior eſt ſcirrhi per ſuppurationem bonam reſolutio, quam tamen in hac vrbe Exc. REICHELIVS in foemina XXXVI. annorum obſervauit. Illa poſt puerperium ante octo annos obtinuerat nodum durum in mamma ſiniſtra vix dolentem. Dum vero aliquando corpus fortius mouebat, et vehementiores animi affectus accedebant, dolor in humore excitabatur et poſtea vera oriebatur inflammatio. Medicus mox a principio, dolore oborto, aduocatus, extractum cicutae cum eius puluere in pillulas redactum adhibuit, et inflammatione ingruente, puluerem cicutae in ſacculis impoſuit. Cum vero tumor et dolor magis increſcerent, et, ſigna ſuppurationis apparerent, cataplasmata ex auena excorticata cum puluere cicutae et emplaſtrum de galbano impoſuit, quorum ope ſuppuratio bona excitabatur. Mamma enim inciſa, pus ſatis bonum cum durioribus partibus remixtum effluebat, abſceſſus bene detergebatur, atque firma cicatrix inducebatur, vt foemina nunc per ſex annos iam bene valeat.

f) Vid. hac de re GOVLARD in *Operibus Chirurg.* Verſ. Germ. T. I. Cap. 4. p. 128. ſequ.

porro cognouerimus mercurialium praecipuum vſum tantum eſſe in cauſſa venerea; narcotica potiſſimum reſoluentia ex vegetabilibus *belladonnam*, *ſolanum* et notiſſimum illud Ill. STOERCKII inuentum, *cicutam* cum fructu adhibendam iudicamus, cuius quidem vltimi remedii virtutem, aliorum ſimilium medicamentorum vim, non ſolum aequare, ſed et ſuperare, didicimus. Obſeruatum quidem eſt cicutam, nimirum ſi iuniores plantae collectae fuerint, nonnunquam ſenſuum quandam obnubilationem producere [g]), ipſique cognouimus imprudentiore huius herbae vſu ſuppurationem in mammis ſubinde ita auctam fuiſſe, vt aegri, puris profluentis copia exhauſti fractique perirent. Immo nec hoc diffitemur, nos vidiſſe medicos, cicutam omnibus fere ſuis aegris exhibentes, qui in iudicio de ſcirrhi et cancri natura vehementer deciperentur. Haec tamen aliaque his ſimilia, iuſtis medicamenti huius eiusdemque Inuentoris Illuſtriſſimi laudibus, nihil omnino putamus detrahere. Non ſolum enim in ſcrophuloſis affectionibus, ſed in ſcirrho quoque, immo in cancro ipſo, vt nihil commemorem de aliis morbis, amauroſi, menſium obſtructionibus et ſimilibus corporis adfectionibus, cicutam multum profuiſſe, inprimis ſi cum cortice peruuiano aliisque remediis, pro varia indicatione iunctim fuerit adhibita, multis exemplis a nobis probari poſſet.

g) Aegra, quae ad ſcrophuloſi tumoris curationem, iam per ſex menſes extracto et infuſo herbae cicutae uſa eſſet, ſine vllo ſanitatis detrimento, circa finem anni accepit plantas iuniores cicutae ſiccatas, collectas menſe ſeptembri ex ſeminibus cicutae, in horto, auguſto menſe, ſatis. Illo vero die, quo primum infuſum ex hac iuniore herba paratum ſumſit, ſtatim ſenſuum obnubilatione, lenioribus conuulſionibus, lipothymia cordisque tanta palpitatione afficiebatur, vt venaeſectio neceſſaria iudicaretur. Altero die dimidium doſis conſuetae herbae in infuſo ei datum eſt. Verum etiam hoc die eadem ſymptomata, licet leuiori in gradu, aegram afficiebant, illaque etiam tertio die, quo quarta tantum pars adhibebatur, aegrae moleſta erant, ita vt plane tandem ab herbae uſu abſtinendum eſſet, a quo tempore reliqua curatio tantum ope extracti in pillulas redacti peracta fuit. Haec obſeruatio, Excellentiſſimi HEYNII eſt, qui eandem beneuole nobiscum communicare voluit.

ſet. Iam vero vt de iis tantum, velut in patriae vrbis laudem, aliquid dicamus, quae Lipſiae recentiſſimis his temporibus cicutae ope curationes factae ſunt, vetuſtiora exempla, quamuis praeſtantiora, praetereamus, Magnificus LVDWIGIVS, interno cicutae vſu et ope emplaſtri, ex cicutae extracto et galbano cum vitello oui ſoluto, parati, carcinoma glandulae cuiusdam ad angulum maxillae poſitum, reſolvit. Erat autem is, in quo tam feliciter iſtud ceſſit, vir, triginta circiter annorum, ſpongioſi corporis habitus, cortice peruuiano ſemper adiuuandus. Excellentiſſimus HEYNIVS ſcrophuloſum tumorem eumque ſatis magnum, angulum maxillae et colli partem occupantem, in foemina nobiliſſimo genere nata, quae eius exſcindendi cauſſa, in noſtram vrbem venerat, intra annum, vſu extracti et infuſi herbae cicutae, perfecte ſanauit. Sumſit vero aegra vncias duodecim extracti in pillulis, et vncias quadraginta quatuor herbae, ſine vlla noxa, ſolam ſi exceperis ſenſuum obnubilationem, ex vſu herbae iunioris, de qua diximus [h]), ortam. IDEM quoque in alia muliere, ſcirrhum mammae, qui vna cum tota mamma et pinguedine circumpoſita ita concreuerat, vt operatio nullo modo inſtitui poſſet, cicutae vſu mobilem adeo reddidit, vt exſtirpatio eius ab Exercitatiſſimo HEBENSTREITIO, ſuscipi feliciſſime poſſet. Excellentiſſimus denique BOSIVS praeterito anno in noſocomio huius vrbis, aeque feliciter ſanauit, cancrum labia, eorumque confinia depaſcentem, cicutae vſu: vt Excell. REICHELII obſeruationem ſupra relatam [i]), aliaque taceam. Attamen non ſemper ea eſt aegroti et medici felicitas, vt vel apta medicamenta adhibeantur, vel eorum vſus ex voto ſuccedat. Haud raro enim vel ſponte, vel quod frequentius eſſe ſolet, humorum vitio, ſiue etiam menſtruis, aut alia quadam conſueta antea euacuatione per aetatem aut morbum ſuppreſſis: item compreſſione externa vel propter vehemen-

tiores

h) Vid. not. praeced. i) Vid. not. e.

tiores animi commotiones k), vel imprudentia denique curantis, mercurialia l), emollientia aut acria adhibentis; quieſcentes hi tumores ita citantur et agitantur, vt ſtagnantes in vaſis humores acres fiant, et cancer occultus tandemque apertus naſcatur. Verum quidem eſt, carcinomatica quandoque vlcera, blandiorum remediorum vſu, vlcere ſollicite depurato, et regimine diaetae accurate ſeruato, per tempus ſatis longum in corpore ceteroquin ſano protracta fuiſſe m). Interim tamen tanta ſaepe etiam eſt huius mali vehementia, vt in medicamentis nullum amplius, ſed in partis affectae deſtructione vnicum auxilium relinquatur. Etenim neminem arbitramur dubitare prorſus impoſſibile eſſe, vt ſcirrhus ad lapideam fere duritiem induratus, aut carcinoma, quod cartilagineam fere naturam induerit, qualis nonnunquam in eiusmodi parte exſecta obſervatur: ſiue tale quod in medio fouet ichorem acerrimum, calloſa membrana incluſum n), interno medicamentorum vſu ita mutetur, vt ichor ille blandus et ad reſorptionem aptus fiat, cartilagineus autem callus, oſſeaque durities molle-



k) Refert quidem Cl. HEVERMANN *Abhandl. der vorn. Chir. Oper.* T. II. p. 295. inter cauſſas, quae ſcirrhi in cancrum mutationi anſam praebent, etiam nimiam venerem, cuius tamen ſententiae vix accedere poſſumus. Ratio enim non patet cur coitus, ſcirrhum in mamma peiorem reddat, atque cancer vt plurimum mulieribus, quae caelibem vitam degunt v. c. monialibus aut iis, quibus menſtrua per aetatem ceſſarunt, accidit. vid. VESALIVM *Chir. magn.* L. V. Cap. 16. DIONIS *Operat.* curante LA FAYE T. I. p. 452.

l) Ex multis allegaſſe ſufficiat LE DRAN *Mem. de l'Acad. de Chir.* T. III. p. 33. et NANNONI l. c. p. 60. 63.

m) Per quindecim annos foemina cancrum in mamma, ſtrictiſſima diaeta ſeruata, ſuſtinuit, ut ne domeſtici quidem ſcirent, eam cancro laborare, vsque dum, vaſis varicoſis ruptis, haemorrhagia oriretur. Alia quoque a quadrageſimo ad ſeptuageſimum ſecundum annum, munde, parce et ſolitarie viuens, cancrum apertum aluit, ſola copioſa lympha perpetuo exſtillante, vnde mali vis imminuta eſt. Vtramque hanc obſeruationem Magnif. LVDWIGIO me debere, gratus profiteor. Similem vide apud AMATVM LVSITANVM *Cent. Cur.* III. Obſ. 32.

n) Vid. QVESNAY *Mem. de l'Acad. de Chir.* T. I. p. 94. FAGET *ibid.* T. II. p. 681. MONRO *Medic. Eſſ.* T. V. P. I. p. 410. Cel. CAMPER *Demonſtr. Anat. Pathol.* L. I. c. 13. vt alios taceam. Eandem rem ante duos menſes in mamma amputata obſeruauimus.

molleſcat, neque vlcus externe pateat [o]). Quodſi vero ſperandam forſan in eiusmodi aegro putauerit aliquis laudabilem ſuppurationem; ei nos reſpondendum arbitramur, in eiusmodi vlceribus aut ſcirrho nunquam contingere eandem poſſe, niſi caſu in confiniis eius inflammatio ab externa cauſſa naſcatur [p]). Concedimus quidem etiam in eiusmodi deſperato malo aptis remediis fungoſas excreſcentias compeſci, acrimoniam humorum temperari, reſorptique ichoris effectus minui omnino poſſe; attamen iſta omnia eam vim habere nobis haud videntur, vt moueant aliquem, quo minus in aegroto doloribus ac vigiliis admodum vexato, cuiusque corpus, increſcente ſenſim malo, in dies magis debilitatur, operationis vſum longiſſime praeferendum, ac ſaluberrimum iudicet.

## §. III.

*Scirrhus et cancer in mamma exſcindendi ſunt.*

Equidem ſatis ſcio eſſe nonnullos, maxime tamen prioris aeui medicos, qui nihil incertius et periculoſius exiſtiment, ſcirrhi et cancri exſtirpatione. Ad cuius ſententiae confirmationem commemorare ſolent HIPPOCRATIS aphoriſmum: *Ὁκόσοισι κρυπτοὶ καρκῖνοι γίνονται μὴ θεραπεύειν βέλτιον. Θεραπευόμενοι γὰρ ἀπόλλυνται ταχέως μὴ θεραπευόμενοι δὲ, πολὺν χρόνον διατελοῦσι* [a]). *Quibus cancri occulti naſcuntur, eos non curari melius eſt. Curati enim citius pereunt, non curati autem per longius tempus durant.* Quem quidem Aphoriſmum CELSVS [b]), atque multi veterum nonnullique etiam recentiorum, de omni ſcirrhi et cancri curatione, ſiue ea medicamentis, ſiue ſectione fiat,

o) Aſſerit quidem GERLACH *Act. Nat. Cur.* VIII. App. p. 50. remediorum uſu cancrum in ſcirrhum iterum indurari poſſe, paucos tamen hac in re aſſentientes habebit.

p) Vid. ſup. not. e.

a) *Aphoriſm.* L. VI. 38.

b) Lib. V. cap. 28. Diſtinguit tamen cacoëthes, quod curationem recipit a carcinomate, quod ſine vlcere eſt, et vlcere ipſo, quod curationibus irritatur. Diſcrimen vero inter mala illa neminem niſi tempore et experientia addiſcere poſſe aſſerit.

fiat, explicare videntur. Conſultius enim putant ſcirrhum plane non tentari. Cancri vero vehementiam ſolis medicamentis blandientibus leniendam, exſtirpationemque vel ob periculum ex ipſa operatione timendum, vel ob cancri ex ipſa cicatrice aut in alia corporis parte reditum, nulla ratione ſuſcipiendam iudicant. Nobis autem HIPPOCRATES vel omnino non loqui videtur de ea cancri ſpecie, cuius exſtirpationem nos ſuadebimus [c]), vel illam *potentem chirurgiam*, vti veteres eam appellabant, quae igne et ferro fit, hoc loco non indicare [d]). Quodſi tamen vel maxime hoc feciſſet HIPPOCRATES, tamen id auctoritate ſua apud nos haud efficiet, vt recedamus ab ea ſententia, qua non ſolum in leuiore malo, quale ſcirrhus eſt, ſed in ſummo maxime malo, carcinomate ſcilicet et cancro, ſumma remedia tentanda putamus. Mirum enim non eſt eius temporibus, vbi chirurgia nondum ita exculta fuit, vti nunc eſt, exſtirpationem ſaepe infeliciter ceſſiſſe, cum carcinoma ex parte tantum exſciſſum, peruerſo ignis et ferri vſu, magis irritatum fuerit [e]). Atque etiam hoc concedimus, recentioribus quoque temporibus haud raro cancroſos tu-

 mores

c) *Cancri occulti* ſ. *latentes* κρυπτοὶ καρκῖνοι ſunt teſte GALENO in *Comment.* ad h. l. et FOËSIO ſub hac voce, vel ii, qui abſconditi et in corpore alte demerſi internas partes occupant, vel qui clauſi ſunt et abſque vlcere. PHILOXENVS apud AËTIVM *Tetrab.* IV. Serm. 4. c. 43. et AVICENNA T. II. Fen. 2. c. 15. de cancro internarum partium explicant. Cl. vero LE CAT *Prix de l'Acad. Chir.* T. I. p. 256. illum cancrum *occultum* dici debere autumat, cuius exſtirpatio ob adhaeſionem vel ſanguinem, cancroſo veneno multum infectum, non ſuſcipi poteſt. Videtur tamen omnino HIPPOCRATES de cancro maligno et inueterato verba facere. Conf. quoque G. A. DALLA CROCE *Cirugia vniu. e perfetta* p. 90. et III. v. SWIETEN. *in Com. ad Aph.* BOERHAVII § 490. et 494.

d) HEVRNIVS in notis ad h. l. HIPPOCRATIS τὸ θεραπεύειν intelligit de cura cancri per emollientia et cauſtica. Magis hoc probat HILDANVS Cent. III. Obſ. 87. qui demonſtrat, HIPPOCRATEM loqui de curatione methodica cancri, per medicamenta cancro contraria, ſcilicet calida et humida emollientia, quorum applicationem in cancro, inprimis occluſo, noxiam eſſe nemo non videt. Adde Cel. GORTER in *notis* ad h. l. HIPPOCRATIS et Cl. LE CAT l. c. p. 254.

e) vid. infra § 7. et SWIETEN l. c. ad § 501.

mores ab empyricis, nulla praeparatione praegreſſa nullaque in ipſa operatione cautione adhibita, ita exciſos fuiſſe, vt aegri vel ſub ipſa operatione perirent [f]), vel quia non omne, quod vitiatum eſſet, ablatum, aut noxia medicamenta vulneri impoſita erant, malum breui poſt rediret. Neque negandum porro eſt operationem hanc in vniuerſum vel a prudentiſſimis chirurgis inſtitutam, non ſemper bene ſuccedere, neque ſuccedere poſſe. Exſtant tamen innumera apud auctores exempla, vbi ſcirrhi horrendae magnitudinis, imo cancri exulcerati proſperrimo cum ſucceſſu exſecti fuerunt [g]). Sic in noſtra vrbe, praeterita aeſtate, mammam, magni ponderis, lancinantibus doloribus aegrae valde moleſtam, et quae circa papillam inflammata erat, in muliere ad phthiſin diſpoſita, febre lenta correpta et viribus iam multum exhauſta, HEBENSTREITIVS noſter ita exſecuit, vt vulnus nunc clauſum ſit, aegraque vires multum recuperauerit, licet tuſſis et catarrhales pulmonis affectiones ſaepius recurrentes, phthiſeos metum faciant [h]). Cui addere poſſemus carcinomaticum tumorem dimidiam fere mammam occupantem, ab eodem illo ipſo tempore non minus feliciter exſectum. Ex quibus aliisque, quae conſulto hic praetermittimus, omnibus patet, hanc operationem neque impoſſi-

f) Ex haemorrhagia a vaſis axillaribus diſciſſis aegram ſub operatione periiſſe refert BLANKARDVS *Inſt. Chir. c. 25.*

g) Ex multis ſequentia ſufficiant: FORESTVS L. XVII. Obſ. 27. p. 131. BONETVS *Sepulchret.* L. IV. S. II. Obſ. 7. p. 268. M. AVR. SEVER. l. c. p. 222. AMAT. LVSIT. l. c. Cent. III. Obſ. 32. HILDANVS l. c. Cent. II. Obſ. 78. et 79. ID. Cent. III. Obſ. 87. SCVLTETVS *Armam.* Obſ. 42. TVLPIVS L. IV. Obſ. 8. *Acta Hafnienſ.* T. I. p. 27. GARENGEOT. *Oper.* T. I. p. 427. FAGET *Mem. de l'Acad. de Chir.* T. II. p. 687. LE DRAN ibid. T. III. Obſ. 19. 20. 21. 26. 27. HEISTER diſſ. citat. p. 516. Cel. TRILLER *de noc. canc. inu. exſt.* apud HALLERVM ibid. p. 496. NANNONI p. 91. VOGEL. *Chir. Warn.* p. 5. 7. 15. et 22 LE CAT apud VANDERMONDE *Journ. de Med.* T. XIV. p. 257.

h) In hac foemina menſtruis accedentibus, quo tempore dolores ſemper maxime augebantur, tota mamma foetidiſſimo ſudore, cancri ichorem ſpirante, manabat, quod phaenomenon a nullo autore annotatum inuenimus.

poſſibilem neque temerariam [i]) aut cancrum mammarum plane non eſſe ferro curandum. [k]) Quod enim ſolet dici de paruo cancro, quod is tantum exſtirpandus ſit, ſi in ſuperficie poſitus mobilisque deprehendatur [l]), in eo ſane circumſtantiae magis ſunt fauentes, quibus praeſentibus chirurgus de felici ſectionis euentu in anteceſſum fere certus eſſe poteſt; attamen nec profundior adhaeſio aut magnitudo deterrere debet chirurgum, non aeque ac veteres, haemorrhagiam timentem, ſed talem, qui dexteritatem et habitum partes a ſe ſcite ſeparandi, vſu longiore ſibi acquiſiuit. Accedit quod exſtirpatio facilius in mamma, quam in aliis partibus fiat, cum maiora vaſa in propinquo haud ſint, et mammae corpori multa pinguedo ſubiecta ſit. Quod vero attinet ad cancri poſt exſtirpationem vel in vulneris vel in alio corporis loco reditum, aliaque, quae operationem diſſuadere poſſint, de iis nunc accuratius diſputandum videtur.

## §. IV.

*Affectio aegrae quae exſtirpationem tumoris in mamma diſſuadet.*

Iam quod in alio quoque morbo, idem etiam in hoc, medico rationali agendum eſt, illud ſcilicet, vt in electione methodi medendi, ea phaenomena morbi, quae adplicationem illius ſuadent, cum illis, quae eandem prohibent, diligenter comparet, ſicque veram theoreticis fundamentis ſuperſtructam indicationem formare ſtudeat. Cum enim veriſſimum ſit axioma, omnem ſcirrhum vel cancrum, qui medicamentis non cedat, ſi id ſaluo aegro

i) Ita BARBETTE *Chir.* L. II. cap. V. et PLATERVS *Prax.* T. III. p. 370. vt alios taceam.

k) Aſſerit hoc RENEAVME DE GARANNE in Theſi *an mammar. carc. ſect. curand.* Pariſ. 1732 argumento ab impoſſibilitate exſtirpationis radicum ſumto. Exempla vero carcinomatum ferro curatorum negat, contendens fuiſſe tantum tumores tunicatos, non carcinomata. Hunc Auctorem ideo nominauimus, quia eum Cl. LE CAT, omiſſo tamen nomine, refellit in *Prix de l'acad. de chir.* T. I. p. 47

l) vid. AETIVM l. c. IV. 4. c. 44. conf. Ill. V. SWIETEN in *Comment.* ad BOERH. *Aphoriſm.* S. 799. et 807.

aegro et absque recidiuae metu fieri poſſit, exſtirpandum eſſe; patet etiam ſectionem indicari, quoties ſcirrhus vel magnitudine ſua aegro nimis moleſtus fit, vel dolores carcinomatis periculum praenuntiant: aut vbi, praeſente iam carcinomate, intellexerit medicus, aegram vigiliis doloribus et febre lenta debilitatam eſſe, medicamenta vero adhibita parum profuiſſe. Quodſi tamen vel maxime medicus, et aeger ipſe, adſtantesque, in triſti eiusmodi rerum ſtatu, id, quod officium ac res poſtulat, faciunt; tamen non, ſemper adiuuantur iſta conſilia ea ſucceſſus felicitate, vt quae medicamenta non ſanauerunt, ferro ſanari poſſint, vt potius multa operationem ſaepe dubiam faciant, aut plane prohibeant. Et licet a ſcriptoribus inprimis iis, qui ſectioni non fauent, multa enumerentur contraindicantia; quamuis, ſi rem recte, atque ſine opinionis contrariae praeſumtione iudicaueris, plura ex iſtis leuia ſint, ac neminem, ſi alia ſymptomata vrgent, ab eadem deterrere debeant, ea tamen omnia, qualiacunque demum ſint, a medico rationali curatius ponderanda ſunt, vt, ſi maxime operatio euentum exoptatum non habuerit, certus tamen poſſit eſſe, ſe non empyrici more, ſed argumentis probe perpenſis operationem ſuſcepiſſe. Deſumantur vero haec contraindicantia, vel a corporis aegroti ſtatu, vel a partis adfectae conditione. Non enim in omni aetate aut temperamento, neque in corpore debili aut ex aliorum morborum violentia infirmo, ſiue tali, quod omnino malae ſit indolis, et ad cancrum rurſus generandum facile videatur procliue, ſine metu exſtirpationem poſſe adhiberi, res ipſa atque prudentiores medici omnes docent. Atque primum aetas, ſi ea iam prouectior eſt, haud leue obſtaculum facit. Etenim ſenum corpora debilia ſunt, humoresque eorum lentius in vaſis circumaguntur, atque acres, et ad coagulum proni ſunt. In talibus igitur, neque ſufficientes ad operationem ſuſtinendam vires adſunt, neque laudabilis ſuppuratio aut vulneris ſanatio exſpectari poterit: aut certe humoribus, cancroſo veneno multum infectis, malum facile redibit. Accedit et hoc, quod ob lentorem cir-

culatio-

culationis in vniuerſum, in vetulis, niſi acrimonia nimis magna adſit, cancer apertus lentius proſerpat, et ex eo arefacta fruſta haud raro ſponte excidant [a]), ita vt in his palliativa curatio ſufficiat. Interim ſi ſymptomata vrgent, corpusque ceteroquin vegetum eſt, cancer in ſenili quoque corpore, optimo cum ſucceſſu ſubinde exſtirpatur. Nam, vt ex pluribus, pauca ſaltem commemorem, HILDANVS [b]) in vetula ſexaginta et Cl. LE CAT in foemina ſexaginta quinque annorum [c]) curationem hanc inſtituerunt. Quibus addi poſſet exemplum ſenis ad ſeptuageſimum annum accedentis, in quo carcinoma in labio iam motum, cura LVDWIGII, optimo cum ſucceſſu ferro ſanatum eſt: aliudque vetulae ſexaginta annorum, quae, mamma exſtirpata et cicatrice firma inducta, per plures annos ſana vixit, licet tandem carcinomate vteri periret [d]). Neque periculum ex temperamento timendum adeo magnum eſt, vt putatur vulgo. Quamuis enim per veterum auctoritatem, experientia etiam ſatis confirmatam, temperamentum melancholicum, ob ſolida ſtricta et humores ſpiſſos, in vniuerſum ad cancri generationem procliue ſit, atque corpora quoque ad cancri reditum poſt operationem diſponat [e]); vix tamen aegra, niſi aliae cauſſae id impediant, ab operatione arcenda eſt, cum nimia humorum ſpiſſitudo diluentibus et ſaponaceis omnino corrigi poſſit. Quodſi autem talis foemina laboret vera melancholia, ſiue ea ex phyſica, ſiue morali cauſſa orta ſit, tunc ſi cauſſa

a) Factum hoc eſt ante aliquod annos hic Lipſiae in vetula, quae cancrum in mamma habebat. Ex cicutae vero vſu ſimile quid obſervauit in ſene, cuius genam cancroſum vlcus depaſcebat, Excellentiſſimus HEYNIVS. Periit tamen aeger, vulnere ferme ſanato, viribus ſenſim morbi diuturnitate exhauſtis.

b) Lib. III. Obſ. 87.

c) Apud VAVDERMONDE *Iourn. de Med.* T. XIV. p. 257. ſeq.

d) Inter contraindicantia DALLA CROCE. l. c. p. 89. etiam ſexum refert foemineum, cum foeminae magis meticuloſae et ob humorum abundantiam ad cancri reditum diſpoſitae ſint. Innumera vero exempla docent, in foeminis aeque tuto, ac in viris, cancrum ferro ſanari poſſe.

e) Vid. BOERHAV. *Arboriſm.* §. 485. et 491. et Ill. V. SWIETEN *Comment.* ad h. l.

cauſſa tolli non poteſt, nec operatio ſuadenda eſt, quae potius aegram praecipitabit. Maxime tamen ad vires aegri attendendum, vtrum eae ad operationem ſuſtinendam et vulnus ſanandum ſufficiant, an non? Et quidem in vniuerſum ſcirrhi exſciſſio, aut totius mammae amputatio, cute ſemel diſciſſa, inprimis ſi pars ſcirrhoſa pectorali muſculo arctius haud adhaereat, non multum dolorifica, neque haemorrhagia adeo magna eſſe ſolet. Poteſt tamen, quod non negamus, aegra nimium debilitata perire lipothymia [f]), vel neruorum diſtentione; quamquam hoc incommodum, noſtris temporibus non aeque ac in veterum operationibus extimeſcendum eſt, qui nudatas cute partes cauterio actuali nimis violenter tractabant. Immo etiam poſt operationem viribus opus eſt, cum ad febrem inflammatoriam excitandam, tum vero etiam ad ſuppurationem promouendam; vt nihil dicam de gangraena aliisque malis, quae in aegra nimis debili euenire poſſunt ac ſolent. Itaque ſi vires valde depreſſae ſunt, et lenta febris robur propemodum totum conſumſit; ab operatione abſtinendum et ſolam palliativam curam tentandam eſſe arbitramur. Attamen haec quoque ſymptomata, niſi nimis euidentia ſint, contra vero reliqua operationem fortius exigant, minime aliquem ab eadem deterrere debent. Vidimus enim vires, vigiliis et doloribus exhauſtas, poſt exſtirpationem rediiſſe, et, ſtimulo cancroſi ichoris ſublato, febrem, ab hoc ſtimulo productam, ceſſaſſe. Atque idem valet de aliis affectionibus morboſis, quae cancri effectus eſſe ſolent, quippe quae, ſi modo non tota humorum maſſa vitiata eſt, vt plurimum, cauſſa ſublata, ipſae quoque ſponte evaneſcunt. Quod vero ad alios morbos in corpore, cancro adfecto, praeſentes attinet, qui non cancri effectus ſunt, illos, ſi ſymptomata non nimis repugnant, medicamentis primum debellare, et tunc, priore leuato, huic morbo mederi ſuaderem. Excipit tamen Cl. GARENGEOT [g]) mam-

f) Aegra in qua Cl. NANNONI exſtirpationem ſuſcepit, ſub operatione ſudore frigido et lipothymia correpta poſt XXXIV. horas periit. l. c. p. 101.

g) l. c. p. 403.

mammae exſtirpationem ab ipſo in ſcorbuticis, ſcrophuloſis et venereis optimo cum ſucceſſu ſuſceptam. Si vero alius morbus lethalis tam alte corpori inhaereat, vt tolli non poſſit v. c. ſi pulmones ſcirrho vel vlcere laborant, etc.; conſultius videtur, talem operationem vel plane intermittere, vel tantum vt palliatiuum remedium commendare, ne aegrum operatione occidiſſe medicus videatur, quem tamen alius morbus interemerat.

## §. V.

*Continuatio.*

Illud vero inprimis curandum eſt, vt diſpiciamus, vtrum, tumore cancroſo exſciſſo, plenariam aegro curationem polliceri poſſimus, an metuendum potius ſit, ne operatione peracta, vel in vulneris vel in alio corporis loco nouus ſcirrhus et cancer denuo generetur. Ea enim eſt acrimoniae cancroſae ſubtilioris redditae natura, vt, ſi ſemel humores omnes penitus eadem infecti ſint, aut ſi iſta ab alio ſcirrho vel cancro in corpore latente ſuſtineatur, paullo poſt exſtirpationem, vel vulnere iam perfecte ſanato, tamen iterum progerminet, atque vt plurimum tunc ferocius, quam antea ſaeuiat. Sunt autem ſigna varia, ex quibus medicus colligere poteſt, talem cancroſam, vt ita dicam, cacochymiam, in aegri corpore adeſſe, quae a nonnullis vt totidem contraindicantia operationis conſiderantur. Inter illa primum eſt, ſi cancer ortum ſponte duxerit, a cauſſa in corpore latente, ſine vlla praegreſſa laeſione aut externa cauſſa, qualis eſt ictus aut inflammatio mammarum in puerpera, et alia eius generis. Nam ſi hoc eſt, ſatis tuto aliquis exiſtimare poterit, totam humorum maſſam iam infectam, aut certe vnum ex viſceribus, vt hepar, lien, et maxime vterum, ſcirrho vel carcinomate affectum eſſe. In tali enim viſceris cuiusdam adfectione morboſa, haud raro transferuntur ſucci deprauati, ad aliam corporis partem glanduloſam, ibidemque carcinoma denuo producunt; licet eiusmodi aliqua transgreſſio, cum labem prioris viſceris non tollat, neque cum alio



ſalu-

tari effectu coniuncta ſit, vix metaſtaſis nomen mereatur [a]). Hinc medicus, a quo medelam mulier, cancro mammae laborans, petit, non ſolum ad pulmonum, hepatis, lienis aliorumque viſcerum, ſed maxime ad vteri ſanitatem reſpiciat, neceſſe eſt, et, ſi id per aetatem licuerit, ad menſtruorum fluxum, qui in eiusmodi aegris ſuppreſſus aut inordinatus vt plurimum eſſe ſolet. Quod malum niſi ex partiali quodam vteri vitio prouenerit, corporis ſanitate in uniuerſum reſtituta, facile quoque tolli poterit. At enim vero vbi ſimul inſolitum circa hypochondria pondus, et dolor moleſtus obſeruatur, aut haemorrhagiae vterinae ſubinde redeunt, ſanies et purulenta materia ex vagina profluit, quae omnia ſigna vitiati vteri ſunt, tunc ſuſpicio oritur, cancrum mammae ortum eſſe ex vteri vitio, aut hoc, ex mammarum cancro, ob inſignem neceſſitudinem, quae in foeminis inter mammas et vterum per omnem ferme vitam intercedit [b]). Plurima enim ſunt exempla, vbi funeſtus tunc vt plurimum cancri in mammis euentus fuit [c]), vt itaque conſultius ſit, in hoc caſu palliatiua tantum curatione vti, idque propterea, quoniam tunc vel ſtatim noua infe-

ctione

a) Vtuntur tamen nonnulli hoc vocabulo ad cancri generationem ex cauſſa interna explicandam, inter quos ANONYMVS in *Novell. litt. Gotting.* a. 1757. n. 57. referendus eſt. Conuenit eius opinio cum ſententia Cl. LE DRAN *Mem. de l'Acad. de Chir.* T. III. p. 39. qui ſcirrhum ex cauſſa interna v. c. ex vteri vitio ortum, tunc demum tuto exſcindi poſſe putat, ſi metaſtaſis perfecta iam facta ſit, quam factam eſſe ex doloribus lancinantibus in ſcirrho ortis tuto ſe colligi poſſe putat. Nunquam enim in hoc caſu perfecta metaſtaſis fit, quia cauſſa carcinomatis, in viſcere haerens, remanet. Adde quod ſcirrhus vel in hoc caſu ſemper tutius exſtirpetur, quam cancer, cuius ortus, humorum acrimoniam iam multum auctam eſſe oſtendit.

b) In vniuerſum foeminae, menſtruis vel per aetatem vel per morbum ſuppreſſis, multum in glandulis periclitantur; quapropter poſt annum XLVI. tumores cancroſos et ſcirrhoſos frequenter obſeruari Cl. RVSSELL docet, vid. *Oecon. nat. in morb. gland.* p. 138. Ex quo iſte probari poſſe putat, purgationem menſtruam non ſanguinem, ſed et alios humores deducere, qui, ſi retenti fuerint, muliebrem naturam multum turbarent.

c) Vid. BONNETI *Sepulchret.* L. IV. S. II. Obſ. 7. n. 1. BOERHAAV. *Aphoriſm.* §. 493. et Illuſtris PLATNERI *Chirurg.* §. 266.

ctione ſanguis corrumpitur, vel omnes humores iam ita cancri acrimonia vitiati ſunt, vt nullis medicamentis purgari queant. Atque huius quoque vitii, nimium humoribus inhaerentis, ſuſpicio eſt, ſi malum vel haereditate [d]), vel contagio [e]) ad aegram tranſiit; tunc enim, cauſſa quippe in ſanguine ipſo prius exiſtente, longa depuratione opus fuerit; quare etiam tunc medicamentis tutius, quam ferro aliquis ſanandum vitium illud iudicauerit. Eadem quoque res eſt, ſi in altera mamma vel alio corporis loco alius ſcirrhus vel cancer iam invaluerit; ibi enim, vt plurimum, ſanguis multum infectus eſt, et malum, niſi illud vitium ſimul ferro tolli poſit, in eodem loco facilius recrudeſcit. Neque ſi, cancro exſtirpato, poſt exſtirpationem vel in priſtino vulneris loco, vel in alio, cancer rurſus generatur, ſecunda operatio feliciorem ſucceſſum habet. Porro omnis ſcirrhus, qui ſubito incrementa cepit, et mox in cancrum abiit, longe difficilius curatur, minusque felicem exſtirpationis exitum habet, quam qui lentius tantum increvit [f]). Ferociores enim effectus cauſſam quoque ferociorem produnt. Iam vero qui recentem tantum cancrum exſcindi poſſe, at non aeque talem, qui iam aliquantum durauerit, ideo putant, quia perſuaſum ſibi habent, ablato cancro, ichorem in ſanguine retentum, neque amplius per conſuetam ſentinam eliminandum, totum

 ſan-

d) Licet difficulter explicari poſſit, quomodo matris vitium ad filiam deſcendere, et poſt plures annos demum vim ſuam exſerere poſſit: obſeruatoresque in eiusmodi exemplis facillime errare queant, cum id, quod haereditarium putant malum, ex aliis ſaepe cauſſis ortum ſit; tamen ipſe exemplum noui foeminae, cuius mater cancro laborauerat, in quo, nulla cauſſa praegreſſa, cancer exortus et cicutae vſu ſanatus eſt. Poſſet addi exemplum pueri lactantis, cuius labia, cum mater in mamma, qua illum nutriebat, ſcirrho laborabat, poſtea in cancrum degenerante, cancroſo vlcere quoque depaſcebantur. Hoc vero magis ad contagioſam cancri naturam declarandam pertinet. Adde LE DRAN *Mem.* III. p. 35.

e) Per veſtimenta TVLPIVS IV. 7. et in *Nou. Act. Nat. Cur.* T. X. p. 226. Quodammodo huc pertinet caſus chirurgi, qui cancri ichore deguſtato tabidus periit, vid. HARRIS *Diſſ. Med. Chir.* X. p. 168.

ſanguinem inficere, vano plerumque metu agitantur[g]). Non nego equidem euacuationes per vlcera, ſi per ſatis longum tempus durauerint, inſigni cum noxa, ipſius quoque vlceris exſciſſione ſupprimi; attamen et hoc ſcio, in eiusmodi hominibus ſemper totam iam ſanguinis maſſam vitiatam eſſe. Quodſi vero cancer in parte tantum eſt[h]), tunc ſuppreſſio euacuationis et liquoris, ex eo emanantis, nullam noxam corpori inferre poterit; quod inter alia, etiam exemplum a Cel. GARENGEOT commemoratum[i]) probat, qui cancrum exulceratum, per viginti annos toleratum, exſecuit, felici cum ſucceſſu. Ex his vero hactenus diſputatis omnibus ſatis puto apparere, exſtirpationem cancroſi tumoris in mamma ſponte orti, atque per aliquod tempus iam durantis, ad quem porro quoque acceſſerat, alius viſceris vitium, vel infectio totius maſſae ſanguineae, periculo haud carere. Siue enim humores vitio iam laborauerint ante cancri geneſin, ſiue reſorptione liquoris, incluſi, vel promanantis, illa labes ad reliquos ſuccos tranſierit[k]), tamen plerumque tunc ſine fructu operationem eſſe deprehendimus[l]). Solet enim ibi vel ex vulnere paene clauſo fungoſa caro propullulare, quae in cancrum degenerat[m]), vel cicatrix clauſa denuo disrumpitur[n]), vel tandem in aliis corporis glanduloſis locis v. c. in altera mamma, glandulis axillaribus, aut vtero

f) Vid. SHARP *Oper.* p. 139.

g) Vid. MERCATVM *de adf. mul.* L. I. p. 534. LA SONE *Prix.* T. I. p. 291.

h) Vid. hac de re PLATNERVM in *Chir. ed. germ.* T. I. p. 240.

i) l. c. p. 426.

k) Huic reſorptioni forte fauebunt ſaturnina externe applicata, quae in cancro exulcerato vulgo adhibentur, cum roborando reprimant.

l) Hinc inter ſexaginta, in quibus haec operatio facta fuit, aegras, vix quatuor fuerunt, in quibus poſt alterum ab operatione annum cancer non rediiſſet. Vid. MONRO *Edinb. Eſſ.* T. V. P. I. p. 410.

m) Eiusmodi exempla plura ab Auctoribus adducuntur, idemque hoc accidit in foemina, cui ante aliquot annos Beat. BREVERVS mammam exſtirpauit. Periit tandem illa haemorrhagia.

n) Talis eſt caſus viri, quem ſuperius §. II. not. a. adduximus, pluresque inferius commemorandi erunt, vbi de cicatricis cura dicemus.

vtero nouus cancer naſcitur. Interim etiam tum, vbi quaedam ſigna docent, humorum maſſam quodammodo infectam eſſe, tamen ex noſtra mente, ſi alia auxilia non ſufficiant, et grauiora ſymptomata exſtirpationem ſuadeant, haud negligenda illa eſt; ſolo eo caſu excepto, vbi vteri cancer aut aliud vitium per ſe lethale iam adeſt. Exſtirpatio enim cancri aegram minime praecipitabit, ſed eam potius per aliquod adhuc tempus conſeruabit, et, malo vrgente quodammodo ſublato, tota forte humorum maſſa interea aptis remediis aliquo certe modo depurari poterit. Quodſi vero morbus remediorum omnium virtutem omnino praeter exſpectationem ſuperet, tamen vel tunc vt optimum, palliatiuum remedium laudari poteſt. Placidius enim mortis genus eſt lenta febre perire, quam dolorum vehementia et cancri putredine interimi, cum miſerae aegrotae in ſuam aliorumque moleſtiam diu ſaepe mortem fruſtra expectent.

## §. VI.

*Quae in parte adfecta exſtirpationem non permittunt.*

Quae hactenus diſputauimus, cum ad vniuerſi corporis ſtatum pertinuerint; de iis nunc diſpiciendum videtur conditionibus, ad quas in mamma ipſa, vel eius parte exſtirpanda attendendum eſt. Solet enim haud raro fieri, vt curatio, etiamſi aegrae ſtatus eandem omnino videatur permittere, tamen nullo modo adhiberi poſſit ob ipſam tumoris naturam. Quamquam illud quoque fatendum eſt, a multis operationis periculum et contraindicantia in hoc quoque caſu nimium augeri. Atque quod primum ad tumoris magnitudinem attinet, ea, ſi reliqua ſanationis impetrandae ſpem relinquunt, vix curationem poterit impedire. Nam haemorrhagia, hoc in loco, niſi laedantur vaſa axillaria, compeſci facillime poterit: et cicatrix, quantumuis magna ſit vulneris diameter, tamen, etſi lentius, formatur. Velut etiam nota mihi ſunt exempla mammarum, ſcirrho laborantium, quarum admodum grande pondus felicem operationis exitum non impediuit [a]). Neque cum

iis

a) Vid. HEISL. diſſ. ſep. cit.

iis ſentimus, qui cancrum exulceratum nolunt exſtirpari. Eſt quidem, quod haud diffitemur, in hoc maior cauſſa timoris, ne humores cancri veneno iam nimium infecti ſint; interim tamen non video, cur, ceteris paribus, cancer apertus minus exſtirpandus ſit, carcinomate, quod intus acrem ichorem fouet; inprimis cum inter exempla felicium curationum ferro factarum, quae ſuperius propoſuimus, plura ſint cancri aperti. Scirrhus quoque, paullo profundius poſitus, a chirurgo, qui aliquam tantum dexteritatem vſu conſecutus eſt, facillime in mamma exſcinditur. Ipſa quoque cutis vitia, inter conditiones, quae exſtirpationem prohibeant, referenda non ſunt, licet omnino oſtendant, eum carcinomatis ſtatum eſſe, ut illud in cancrum apertum mox ſit degeneraturum. Siue enim cutis, tumori tantum adfixa, ſiue ab illo extenſa, calloſa facta aut nimium extenuata ſit; ſiue, ea excoriata, tenuis et acer ichor iam exſudet; ſiue illa tandem laboret vero cancro; tamen quidquid ea vitii contraxit, id omne, vna cum tumore exſtirpandum eſt. Idem porro valet de venis varicoſis, quae vel in tumoris ſuperficie vel circa illum incuruantur. Illae enim nullum prorſus chirurgo timorem iniicere debent, ſi vnum hoc incommodum exceperis, quod ex ipſa diſciſſione ob haemorrhagiam ſub operatione oritur. Etenim aut vna cum cute et celluloſa tela, quae illas ambit, exſcindi debent, id quod conſultius eſt, cum ſemper eae, quae in confinio tumoris ſunt, peiorem indolem vlceris oſtendant; aut, ſi nil vitii in tela celluloſa circumiacente reperitur, poſt operationem, tumoris preſſione ſublata, ſponte abeunt, niſi malum diutius durauerit, et vaſa admodum extenſa vim ſuam reſiſtendi naturalem amiſerint. Non enim vti veteres, et etiam recentiorum nonnulli putant b), atrum quendam melancholicum ſanguinem continent, qui mali radices ſiſtit, ſed oriuntur a preſſione ipſius ſcirrhi. Hic enim reditum ſanguinis per haſce venas ita impedit, vt, poſtquam tenuior ſanguinis pars per anguſtatum finem, preſſionis vi, tranſiit, diſtenta craſſiore ſanguine

b) GORTER *Chirurg. repurg.* §. 1493.

guine vena, nigrum colorem obtineat. Hinc non ad ſanguinem has venas diſtendentem, ſed potius ad ſcirrhoſam tunicarum earundem et celluloſae tunicae, illas ambientis, duritiem reſpiciendum, et in ea mali proſerpentis cauſſa quaerenda eſt. Sed, vt ad alia progrediamur, notandum eſt, duo praecipua eſſe momenta, quae nonnunquam exſtirpationem tumoris in mamma vel ab exercitatiſſimo chirurgo ſuſcipiendam, non permittunt, cohaeſio ſcilicet mammillae cum aliis partibus, et glandularum ſubaxillarium tumor. Interdum enim pars mammae ſcirrhoſa aut omne corpus mammae adeo firmiter vicinis partibus adhaeret, vt, ſi tumorem manu a partibus ſubiacentibus mouere conamur, nullo modo, nec ſurſum, nec deorſum, nec latera verſus illud fieri poſſit [c]). Frequentius quoque ex mamma minores quaſi radices procedunt, eiusdem fere naturae, qua ſcirrhus eſſe ſolet, quae ad pinguedinem circumpoſitam, pectoralem muſculum, vel intercoſtales, nonnunquam etiam ad ſubaxillares vsque glandulas et coſtas pleuramque ipſam pertingunt. In hacce vero mammae cohaeſione cognoſcenda, varia cautione chirurgo opus eſſe arbitramur. Primo vt brachium aegrae, ſi examen ſuſcipitur, extrorſum ducatur, vt pectoralis muſculus non contractus turgeat, et vna cum mamma moueatur, ſed planum aliquod referat [d]), deinde vt caueatur, ne immobilitatem, quae, vbi tumor nimis magnus eſt, ex preſſione partium vicinarum pectoralis muſculi humerique naſcitur, confundamus cum ea, quae a radicibus oritur [e]). Itaque in hocce examine ſi deprehenderis mammam ſupra pectoralem, aut partialem ſcirrhum in celluloſa tela libere moueri poſſe, tunc exſtirpatio commode ſuſcipietur [f]). Quodſi vero cuti tantum adhaereat, tunc omne id, quod cum mamma et ſcirrho concreuit, vna cum ipſa

c) In hoc caſu apparet telam celluloſam, in qua ſcirrhus haeret, ab eius preſſione et liquorum ſtagnatione diſtentam et calloſam factam eſſe. Conf. SWIET. §. 299. 2.

d) LE DRAN *Oper. Chir.* verſ. Anglic. p. 294.

e) Conf. GARENGEOT l. c. p. 407.

f) Vidi tamen in carcinomate, quod cauitatem intus habebat, ichore repletam

ipſa ferro tolli debet. Si ſcirrhus cum reliquo corpore mammae aut tela celluloſa cohaeret, neque mobilis eſt, tunc loco exſciſſionis partis adfectae, quam vulgo in tali caſu inſtituere ſolent, totius mammae amputationem potius ſuaderem. Solent enim tum, aliae quoque partes in mamma hinc inde vitiatae eſſe, quae faciunt, vt morbus redeat, cum ſtatim poſt exſtirpationem magni tumoris intumeſcant, ita vt alia rurſus operatione opus fuiſſe, ipſe aliquando viderim. Tota tandem mamma ſcirrhoſa ſi cum vicinis partibus concreuit, aut cum axillaribus glandulis ita connexa eſt, vt ſine vaſorum maiorum laeſione exſcindi non poſſit, ab operatione abſtineat chirurgus *). Conſultius enim tunc eſt, periculum facere, num telae celluloſae infarctus medicamentis ita reſolui poſſit, vt exſtirpatio tentari queat. Hoc vero non emollientibus, quae in omni carcinomate noxia ſunt, ſed potius interno vſu reſoluentium ſpecificorum fieri debet [g]). Minores autem adhaeſiones, quae *radices* [h]) vulgo dicuntur, inprimis in tumore magno, vix ante operationem cognoſcuntur, interim tamen ſemper in ea ipſa aut poſt illam tollendae ſunt. Quamuis enim veterum opinio, qua ſcirrhum, radices habentem, operatione haud ſanari poſſe, ſed ſemper iterum propullulare autumabant, non ex omni parte vera videatur; tamen, cum receptum ſit noſtris temporibus axioma, in exſtirpatione cancri, omne, quod vitium contraxit, delendum eſſe, id inprimis de radicibus eius valebit. Hinc non ſolum nerui et vaſa calloſa facta, ſed et minores glandulae, telaque celluloſa indurata, ipſe porro muſculoſae vel tendinoſae fibrae, et quidquid denique ſcirrhoſam naturam adquiſiuit, tollendum erit. Vltima tandem

tam, quae ad pectoralem vsque muſculum penetrabat, fuiſſe mammam valde mobilem, licet ſub ipſa cauitate adhuc pars indurata e pectorali muſculo eximenda ſupereſſet. Sciat igitur chirurgus, ſi in mamma magnam ichoris incluſi copiam detexerit, poſſe adhuc radices ſub cauitate latere.

*) vid. LEONID. apud AËTIVM l. c. c. 50. init.

g) In tali caſu cicutae vſum multum apud nos profuiſſe, ſuperius adnotauimus.

h) *Radix* carcinomatis eſt quidquid de eius ſubſtantia vicinis partibus accreuit, et per illas quaſi diſpergitur. vid. SWIETEN §. 504.

tandem affectio, quae exſtirpationem impedit, eſt glandularum ſubaxillarium tumor. Docent enim innumerae obſeruationes, glandulas eiusdem lateris, in quo carcinomatica mamma eſt, ſaepe intumeſcere et in cancrum abire [i]) ſiue contagioſa labes neruorum coſtalium [k]), qui glandulas et mammam adeunt, tramitem ſequatur [l]): ſiue id ob vaſorum lymphaticorum ex mamma ad glandulas iſtas progreſſum [m]) eueniat: ſiue tandem, quod non adeo rarum eſt, ex ſola compreſſione tumoris oriatur. Hoc vero vitium ideo potiſſimum attentionem chirurgi, in definienda exſtirpatione exigit, quoniam illa ob vaſa maiora propinqua nonnihil periculi habet, glandularumque intumeſcentia docet, venenum ad ſanguinem tranſiiſſe, ita, vt, frequenter ſi mamma, iis iam tumeſcentibus, exſtirpata fuerit, malum in iis redierit [n]). Neque tamen in hoc caſu plane deſperare debet chirurgus, aut operationem, ſi cetera illam exigant, diſſuadere. Non ſolum enim ferro et ligatura tolli poſſunt, ſed habemus etiam exempla, quae docent illas poſt



i) Vide AËTIVM l. c. cap. 43. ex tumore harum glandularum, vaſis et neruis brachii compreſſis *abſceſſum* LE DRAN *Mem.* l. c. p. 27. *oedema* HILDAN. IV. 73. *paralyſin* SWIET. §. 480. *gangraenam* ASTRVC. T. VI. p. 103. obſeruarunt.

k) Neruos hoſce vid. apud Cel. CAMPER in *Demonſtr. Anat. Pathol.* L. I. T. I. f. 2. Conf. quoque Cl. KOELPIN in diſſ. *de ſtruct. mammar.* p. 17.

l) Haec Cel. CAMPERI eſt opinio, quam in edit. lat. libelli Cel. MONRO *de diſtr. neru.* p. 16. et in *Demonſtr.* l. c. p. 9. propoſuit. Putat ſcilicet illas glandulas potiſſimum cancri veneno affici, quae ab iisdem truncis, ſuos accipiunt neruos. Et in vniuerſum cancrum cum neruorum adfectionibus analogiam quandam habere, nonnulla perſuadere mihi videntur phaenomena: vt analogia morborum neruorum et glandularum in uniuerſum: cancri orti et peiores redditi per animi pathemata: cancri ortus in neruoſis potiſſimum partibus vt cute, lingua, pene etc. inſignis dolor in cancro, qui neruos potiſſimum affectos eſſe docet: et effectus narcoticorum remediorum in cancro etc. Vtrum vero fluidum nerueum ipſum vel lympha neruos nutriens afficiatur, an contagium per vaſa ſanguifera, quae in neruorum ſubſtantia decurrunt, ttansferatur, cum Cel. CAMPER vix definire audeo.

m) Eſt ſententia a Cl. KOELPIN defenſa, apud quem elegans quoque deſcriptio vaſorum lymphaticorum mammae reperitur p. 26.

n) vid. SCVLTETVM Obſ. XXIV. LE DRAN. l. c. Obſ. XXII. MORGAGNI *de ſed. et cauſſ. morb.* Ep. L. p 278. HEVERMANN. p. 302.

operationem detumuiſſe [o]). Atque hoc inprimis fieri videtur, vbi a ſola compreſſione tumoris intumuerant, neque ſanguis nimis adhuc vitiatus erat. Iam ex iis omnibus, quae hactenus diximus, patere arbitramur, ſigna, quae ſpem felicis curationis, ferro factae, plane irritam faciant, tam certa non eſſe, neque adeo copioſa, vt a multis putantur. Quapropter prudens medicus, de ſua fama, a multis fortaſſe in diſcrimen trahenda, non ita erit ſollicitus, vt aegri ſalutem propterea negligat; neque intempeſtiua miſericordia tenebitur, vt aegram, quae potente chirurgia ſeruari potuiſſet, perire ſinat. Omittenda vero, vt, quae diximus, omnia vno verbo complectamur, erit iſta ſanandi ratio in muliere nimis debili, cuius viſcera laeſa et humores ad cancrum mox de nouo generandum diſpoſiti ſunt. Neque in iis, vbi mamma nimis arcte pectori adhaeret, et immobilis eſt, amputationem tentandam eſſe arbitramur. In ceteris vero vel in ancipiti etiam caſu, anceps tentare remedium, haud recuſauerim [p]). Illud vero ſemper bona fide antea, cum aegro ipſi, tum etiam cognatis ſignificandum erit, quam exigua ſit euentus exoptati ſpes, et quam facile malum redire poſſit, ita vt operatio nihil aliud, niſi palliatiuum auxilium ſit, vel tale, quod aegram tantum a doloribus vehementioribus liberet.

## §. VII.

*Tumoris in mamma exſtirpatio non igne, aut rodentibus medicamentis, ſed ferro fieri debet.*

Poteſt autem tumoris in mamma exſtirpatio vel igne, vel medicamentis, quae rodentem vim habent, vel denique ſectione tentari. Et quod primum ad cauterii actualis, ſiue ferramentorum ignitorum adplicationem attinet, haec a veteribus in omni cancri exſtirpatione ſcalpelli vſui ita iungebatur, vt vel vtramque, cum ſectionem, tum vſtionem, alternis vicibus adhiberent, vel, abſoluta

o) vid. *Act. Hafn.* l. cit. ZINN *Com. Gött.* T. II. p. 366. et hic Lipſiae in vetula, (vid. ſup. §. IV.) BREVERVS glandulas axillares detumuiſſe vidit. Periit tamen illa vetula poſt plures annos carcinomate vteri.

p) Legi hac de re merentur, quae Cl. LE CAT in *Prix de l'Acad.* T. I. p. 262 habet.

luta demum ſectione, candens ferrum vulneri admouerent, quo ſanguis ſiſteretur omnesque cancri radices deſtruerentur [a]). Cum autem haemorrhagia noſtris chirurgis non tantum, quantum veteribus, metum iniiciat, neque nunc igne ſiſtatur, quia alia praeſto ſunt auxilia faciliora tutioraque, cauterio actuali carere poſſumus. Radicum quoque exſtirpatio melius et accuratius ſcalpello quam vſtione fieri poteſt. Quapropter cauterium actuale tunc tantum aliquam vtilitatem praeſtare poſſe exiſtimo, ſi radices ad oſſa usque penetrauerint, neque carcinomatica caries ſcalpello deſtrui poſſit. Cauterium porro potentiale in hac exſtirpatione, noxam potius adfert, quam quod vſui eſſe poſſit. Etenim cum cauſticorum vis vltra locum, cui adplicantur, ſe extendat: eorum pars reſorpta humoribus reliquis miſceatur [b]): et porro illa vulnus inflamment, maioremque humorum adfluxum excitent, ſicque ſaepius ſcirrhum benignum in cancrum malignum mutent [c]); non in omnibus aegris, ſed tantum nonnunquam, atque ſub certis conditionibus, vſus eorum concedi poteſt. Hinc ex optimorum ſcriptorum iudicio [d]) adhibenda tantum ſunt, vbi ferrum attingere tumorem nequit, neque partes admodum ſenſibiles in propinquo ſitae ſint, ſed tales, quibus cauſticum vix nocere poſſit; denique ſi vitium in parte tantum exiſtat, reliqua vero humorum maſſa ſana ſit, et quidquid corruptum eſt, ſimul vnica cauſtici adplicatione deſtrui poſſit [e]). Cum vero plurimae harum conditionum in mamma non adſint, tumoresque ibidem poſiti facilius ferro tolli queant; tum demum cauſticis vtendum eſt, ſi poſt ſectionem

 reman-

a) Vid. inferius §. IX. Inter recentiores quoque hac methodo in cancro linguae vſi ſunt HILDANVS L. III. Obſ. 87. et RVYSCHIVS *Obſ. Anat.* LXXXVI.

b) Hinc venena v. c. arſenicum et mercurius ſublimatus, quae veteres eiusmodi ulceribus admouebant, magna ſaepe damna dederunt. Vid. PARAEVM, VIII. 31. et Cl. PIBRAC in Comment. *de vſu merc. ſublim.* qui exſtat in *Mem. de Chir.* T. IV. p. 158.

c) Vid. HILDAN. L. III. Obſ. 86. LE CAT *Prix* T. I. p. 263.

d) Vid. LE CAT p. 262.

e) Ita BOERHAVIVS tumorem carcinomaticum in naſo, ope olei vitrioli exſtirpauit. Vid. *Arboriſm.* §. 499.

remanſerint particulae quaedam, ſcalpello non attingendae [f]). Quapropter omnino in carcinomatis mammarum exſtirpatione, cum impoſſibile ſit, illud ſola ligatura tolli poſſe, ſectionis vſum reliquis remediis omnibus praeferendum duxerim.

## §. VIII.

*De iis, quae ante exſtirpationem tumoris in mamma fieri debent.*

Quando igitur ad ſectionem chirurgus deuenit, ante omnia curandum eſt, vt ea apto tempore et in corpore bene praeparato fiat. Atque primum medicus, ſi operationis neceſſitatem cognouerit, quam citiſſime illam inſtituat, ne mali vehementia per moram augeatur. Eligatur autem, ſi id ſine magno aegri incommodo fieri poſſit, vernale potiſſimum, vel autumnale tempus, quo grauiora vulnera felicius, quam aeſtiuo vel hyemali ſanantur; interim tamen ſi malum vrget, aeſtate quoque vel hyeme haec operatio ſuſcipi poterit, non tamen neglectis cautionibus, quae iſtud anni tempus exigit [a]). Illud vero adhuc maius, atque diligentiſſime obſeruandum eſt, vt operatio ſuſcipienda in foemina menſtruata, accomodetur periodo menſtruorum, ita quidem, vt, menſtruis non amplius fluentibus, vno vel altero ante operationem die dari poſſit purgans, et deinde exſtirpatio fiat; ſic enim inflammatio et reliqua ſymptomata praeteribunt, ante reditum proximi profluxus. Vti enim obſeruatum eſt, antequam exſcindatur mammarum cancer, vt plurimum menſtruorum tempore augeri dolores in illo ſaeuientes; ita quoque poſt eius ſectionem ſemper, hac periodo redeunte, maior ſolet eſſe humorum ad vulnus adfluxus, ſic, vt fungoſa caro magis tunc propullulet, et, cicatrice quoque inducta, illa maiore cura hoc, quam alio tempore opus habeat.

f) Cl. RENEAVME l. c. putat, cauſticorum carcinomati adplicandorum nociuum effectum compeſci poſſe, opii adiectione. Vix vero aliqua opii hac in re vis erit, neque ſenſu partis debilitato, nimia deſtructio et reſorptionis periculum impeditur.

a) Hyeme inſtituit eam HEISTERVS diſſ. cit. cap. 3. Ipſe quoque vidi talem exſtirpationem ſub aeſtiuis caloribus ſuſceptam, felicem ſucceſſum habentem.

habeat. In gravida vero vel puerpera, nemo rationalium medicorum facile cancrum exſtirpauerit, cum abortus aliaque periculoſiſſima ſymptomata inde metuenda ſint [b]). Quod autem ad ipſam corporis aegrotae ante operationem curam attinet, auctor equidem eſſem, vt, poſtquam decreta eſt operatio, alia remedia, maxime externa ſeponerentur, quippe quae nunc nil amplius iuuant, ſed potius nocere poſſunt. Deinde, vt ad vires habitumque corporis in vniuerſum medicus ita attendat, vt illud nutriat alimentis blandis, ex regno vegetabili ſumtis, aegramque a vino abſtinere iubeat. Caueat tamen hac in re, ne vires diaeta iuſto ſtrictiore nimium deprimantur. In plethoricis vnam alteramue venaeſectionem praemitterem, nullam in debilioribus, cum his per ipſum vulnus ſatis magna copia ſanguinis decedat. Semper vero, medicamento purgante opus eſt, quo cauetur, ne ſaburra primarum viarum ſub febre et curatione corpori detrimentum afferat [c]). Atque haec in iis ſufficiant, quae nulla inſigniore acrimonia laborant, ſatisque virium habent. Quodſi vero ſcorbutica adſit aut venerea labes [d]), tunc ea primum aptis remediis ſanari debet, aut ſi humores atrabilarii ſint, videndum eſt, an mellis, fructuum horaeorum, et ſuccorum reſoluentium vſu dilui et corrigi iidem poſſint [e]). Si vero cancer iam diu durauerit, vel alia ſigna faciant, vt metuendum ſit, humores aegrotae iam cancri contagio infectos eſſe; ſuaderem equidem, vt corpus, niſi hoc iam antea factum fuerit, medicamentis cancro ſpecifice oppoſitis, quale eſt cicuta, per aliquod tempus adhuc praeparare aliquis ſtudeat; hoc tamen excepto, vbi ſymptomata exſtirpationis accelerationem nimis deſiderare intellexerit. Cicuta enim tumoris magni-

b) In puerpera tertia poſt partum ſeptimana infelix cancri ſectio. vid. SCVLTETVM Obſ. 54.

c) Purgationem humorum ab atra bile ante exſtirpationem veteres iam ſuadebant. Vid. GALEN. *Meth. Med.* L. XIV. P. AEGINET. L. VI. c. 45. Adde ARCAEVM *de vuln. cur.* L. II. cap. 3.

d) Vid. ſup. §. IV. Felicem tamen ſectionem in ſcorbutica refert VACHER *Diſſ. ſur le cancer* p. 174. Vid. PLATNER T. I. Ed. Germ. p. 240.

e) Vid. SWIETEN l. c. §. 510.

magnitudinem minuit, ſanguinem purgat, corpusque ad bonam ſuppurationem diſponit[f]). Interponerem vero, in primis in debilioribus corticis peruuiani, tanquam optimi antiſeptici et roborantis, vſum. Vltimum tandem officium, quod medico ante operationem incumbit, hoc eſt, vt definiat, vtrum tota mamma an pars tantum illius exſcindi debeat? Verum quidem eſt, ſi vitioſa tantum pars eximitur, non vero tota mamma reſcinditur, non ſolum ipſam operationem minus dolorificam eſſe, ſed et non tantam ſuppurationem ſequi, qua corpus vniuerſum quandoque exhauriri SWIETENIVS[g]) obſeruauit. Ad quod accedit, quod vulnus, ſi pars tantum exſcinditur, citius claudatur, quae res in eiusmodi aegris, vbi metus inſtat, ne vulnus in vlcus cancroſum abeat, valde exoptabilis eſt[h]). Interim tamen ſi magna cutis pars tumori adfixa, nec amplius ſui coloris eſt: ſi venae liuidae in ea turgent: ſi tota mamma tumet, aut tumor oui anſerini magnitudinem ſuperat: ſi cancer apertus eſt, aut ichoris in carcinomate contenti fluctuatio percipitur: ſi carcinoma vicinis partibus adhaeret: tandemque ſi pinguedo circumpoſita vitiata eſt; ſemper totius mammae exſtirpationem inſtituendam exiſtimauerim.

## §. IX.

### *De variis methodis exſtirpationis tumorum in mamma.*

Iam vero, vti in omnibus fere chirurgiae partibus, ea noſtri ſaeculi eſt felicitas, vt, reiectis methodis nimis crudelibus, ſimpliciore via incedendo, mitiusque agendo, perfectam tandem curationem praeſtare didicerimus; ita merito quoque gloriari poſſumus, factum hoc eſſe in ea cancri curatione, de qua nunc agimus. Quamuis enim minime dubitandum ſit, et in hac quoque chirurgia futurum tempus emendaturum quaedam adhuc et additurum eſſe; negan-

f) Vid. ſup. §. II. et caſus relatos in *Epiſt. Aletophilorum Viennenſium* ad Ill. DE HAEN Edit. Amſt. §. 41. et 50.

g) l. c. §. 499.

h) Magna enim cutis parte amiſſa, vel in corpore ſatis de reliquo ſano vlcus difficillime ſanandum oriri poteſt. Quae res magis adhuc in corpore, malis ſuccis ſcatente extimeſcenda erit, vid. CHESELDEN *Anat.* p. 140.

negandum tamen non eſt, methodum, hac noſtra aetate vſitatam, parum a perfectione abeſſe, id quod, inſtituta, cum methodis veteribus vſitatis comparatione, facile patebit. Superius iam annotauimus, veterum medicorum plurimos vel plane ab operatione abſtinuiſſe: vel ſolo cauterio vſos eſſe [a]): vel tandem inprimis in amputatione totius mammae cauterium et ſcalpellum iunctim adhibuiſſe. Vtebantur autem cauterio cum poſt operationem [b]), quo ſanguinis fluxum ſiſterent, venenatamque cancri qualitatem abſumerent: tum inprimis in cancro maiore ſcalpellum et cauterium alternis vicibus adhibebant [c]). Atque etiamſi viderent, ſub crudeliſſima hac exſtirpatione, in aegris ſaepius neruorum reſolutionem aut diſtentionem ſequi, et cancrum circa cicatricem redire [d]), tamen metus haemorrhagiae adeo obſederat animos, vt non veteres ſolum, cauterio nihilominus vterentur, ſed et recentioribus temporibus FABRICIVS AB AQVAPENDENTE eam magis adhuc emendare ſtuderet [e]). Cum autem in hac operatione non nimium ſanguinis profluat, neque iſte profluxus nunc candentis ferri

a) Vid. ſup. §. VII. P. AEGINETA L. VI. c. 45. Operae quoque pretium eſſe arbitramur, commemorare hic aduſtionem mammae vnius in Amazonum puellis a matribus ferro ad id fabricato et candente ſuſceptam, ne incrementum acciperent. vid. HIPPOCRAT. *de aëre, aquis et locis.* Licet enim tota haec hiſtoria fabulam redoleat, oſtendit tamen, cauterium tanquam ſimpliciſſimum, ad eiusmodi deſtructionem remedium, veteribus ſe obtuliſſe.

b) vid. AEGINET. l. c. Varias vſtionis methodos deſcribit FABRIC. AB AQVAPEND. *Pentat.* L. I. c. 22.

c) Haec fuit LEONIDAE methodus quam AËTIVS l. c. c. 45. deſcribit. Aegra ſcilicet ſupina collocata, mammam ſiniſtra manu prehendebat, eamque quantum fieri poterat, a coſtis et pectore ſeparabat. Tunc parte aliqua ſcalpello praeſciſſa, ſtatim candens ferrum admouebat, iterumque aliam partem ſecabat et vrebat, donec tota mamma fuiſſet exciſſa et inuſta. In fine quoque operationis rurſus partes omnes ad ſiccitatem vsque vrebat.

d) v. CELSVM L. V. c. 28.

e) *Operat. Chir.* p. 58. *Ego ſi facturus eſſem talem operationem, vt dolorem primo vitarem et ſanguinis profuſionem, ſi cancer ſit mobilis eum forcipe apprehenſo, ſtatim cultro vno eodemque candente et incidente opus peragerem, vt forcipe valide conſtringente, ſenſus partis hebetetur, cultro incidente amputetur cancer, et eodem candente, ſanguis ſupprimatur.*

ferri adplicatione coërceri ſoleat: porro cum radices cancri longe accuratius poſſint tolli ferro, quam cauterio, neque hac ratione cancer tam facile ex vulnere iterum renaſcatur: tandemque inſignis dolor ferri candentis adplicatione excitetur [f]); rectius omnino recentiores chirurgi cauteriis vel plane non, vel tandem ad ſanguinis ex maioribus vaſis profluxum ſiſtendum, poſt operationem vſi ſunt. Coeperat quidem iam circa medium ſaeculi decimi ſexti cauterii vſus fere repudiari; attamen initio huius ſaeculi in Gallia multos chirurgos adhuc antiquam cauteriſationis methodum poſt amputationem mammae ſeruaſſe, ex Cl. VERDVC patet [g]). Sed vt ad alteram exſtirpationis methodum accedamus, tenendum eſt, chirurgos ſaeculi decimi ſexti aliam ingreſſos eſſe viam, cauteriumque in ipſo carcinomate exſcindendo haud amplius adhibuiſſe. Cum enim in eo maxime ſtudium ſuum ponerent, vt quam citiſſime ſectionem vno quaſi ferri ſecantis ductu, abſoluerent: neque tumorem ſola manu continere et a corpore aegrae ſatis retrahere valerent, varia excogitarunt inſtrumenta, quibus tumores ad baſin perforare atque ſic excidere poſſent. Vſi vero ſunt vel filis et furcis, quas per tumorem transegerunt, vel forcipibus de quibus omnibus paucis nunc erit diſſerendum. Igitur quod ad priorem methodum attinet, tenendum eſt, in ea baſin mammae aut ſcirrhi minoris perforatam fuiſſe plerumque acubus duabus [h]), filis fortibus munitis, quorum filorum capita in anſam deinde colligebantur, qua a corpore aegrae abſtracta, chirurgus, inferius ad radicem mammam vno ictu abſcindebat. Cui forte methodo originem dedit clauorum in oculis exſtirpatio, quam CELSVS deſcripſit [i]), qui eos ad imam radicem acu perforare iubet, infraque illam exſcindere. Poſt CELSVM primus, quantum ſcio, PARAEVS [k]) ea methodo in cancro vſus eſt, qui tamen eam tan-

f) vid. ſupra §. 7.

g) *Trait. des oper.* p. 60.

h) Acus vide depictas apud SCVLTETVM *Armam.* T. 38. et HEISTER. *Chirurg.* T. VIII. f. 12. et Tab. XXII.

i) Lib. VIII. c. 7.

k) Lib. VI. c. 29.

tantum ad curationem cancri labiorum adhibuit. Vix autem definire audeo, quisnam illam primum ad mammarum exſtirpationem transtulerit, licet ex RODERICO A CASTRO [l]) appareat, eam paullo ante inuentam fuiſſe, ita vt FRANCISCVS ARCAEVS [m]) aut FORESTVS [n]) primi ſint qui eam deſcripſerint. Poſt hos autem, etſi maxima pars auctorum, qui de chirurgia egerunt, etiam hanc operationem illuſtrauerit [o]), tamen iidem inter ſe, quoad varia momenta, quae in illa obſeruanda ſunt, differunt. Atque primum alii ex his aegram in tergum ſupinant, alii erecto corpore in ſedili collocant. Alii duabus acubus et duobus filis vtendum eſſe dicunt, alii vnam acum vnumque filum ſufficere putant [p]). Porro ſecundum alios chirurgus ipſe anſam ſiniſtra manu tenere debet, cum alii contra hoc munus adſtanti mandatum velint. Et in ipſa quoque amputatione eundem diſſenſum inter auctores obſeruare poſſumus, vt alii ante filorum traiectionem cutem duabus ſectionibus parallelis ſuperius et inferius, tumore ipſo illaeſo diſcindant, et deinde acum ad baſin transmittant [q]): alii cutem ſectione ad crucis formam inſtituta diuidant, ſeparentque prius a tumore [r]): alii denique eam plane non diſcindant, ſed integram ad baſin tumoris perforent. Quod vero ſpectat ipſam directionem ſectionis, qua mamma ſeparari debet, SCVLTETVS [s]) illam ita inſtituit, vt ſuperius incipiat et deorſum ſecet, cum alii contra ne ſanguinis profluuium chirurgum in vlteriore et accuratiore ſectione impediat, ſcalpellum, vt vaſa maiora vltimo diuidantur, ab inferiore mammae parte ſurſum ducant [t]), alii denique in circulum, vt ſectio reuertatur ad locum vnde inceperat.



l) *De morbis mulierum* P. II. Lib. IV. c. 21.

m) *De cur. vuln. rat.* L. II. c. 3. Conf. ea quae SEVERINVS de ſtrumarum curatione habet. *de rec. obſ. abſc.* Cap. IX. §. 9.

n) Lib. XVII. Obſ. 27.

o) Durauit huius methodi vſus per ſatis longum tempus, cum in Gallia circa initium huius ſaeculi, multi eam adhuc ſecuti ſint. vid. VERDVC l. c. p. 60.

p) vid. DIONIS *Cours d'operat.* T. I. p. 461.

q) vid. ARCAEVM l. c.

r) vid. BLANCKARD *Chir.* p. 474.

rat [u]). Alii porro cultro vulgari latiore, alii gladiolo [w]), alii vero, maxime chirurgi gallici, nouacula vſi ſunt, cuius lamina mobilis ad manubrium firmabatur, ope faſciae circa illam ductae [x]). In vniuerſum autem haec methodus, cuius hiſtoriam nunc breuiter deſcripſimus, plura habet incommoda et pericula, cum acuum traiectio vehementiorem ſoleat excitare dolorem, filorumque ope mamma vix in ſitu firmo retineri poſſit, ſed vacillet potius: atque multo minus radices et adhaeſiones carcinomatis exacte, ſeparari queant. Poſſet tamen fortaſſis ea adhuc nonnunquam adhiberi in minoribus ſcirrhis, qui nimis profunde ſedent, et vicinis partibus ita adfixi ſunt, vt digitis vel volſella apte comprehendi nequeant; imprimis cum viderim, partes duriores poſt exſtirpationem relictas, optime poſſe tolli, ſi infra acum, qua baſis perforata eſt, exſcindantur. Haud mitior aut vllo modo melior eſt ea ratio, quam praecedenti ſaeculo delegerunt nonnulli chirurgi bataui, qui a parte infima baſi mammae furcam infigebant, et infra furcam pariter vno cultri ictu mammam a corpore ſeparabant. Harum furcarum varias ſpecies duabus vel ſimplici cuſpide inſtructas vſurparunt CORNELIVS SOLINGEN [y]) et BIDLOVS [z]) cui vulgo hoc inſtrumentum tribuitur. Eſt tamen in hac methodo non minor, quam in praecedente, dolor, maximumque periculum, ne dum furca per baſin mammae transfigitur, pectoralis muſculus et coſtae laedantur, quod vel BIDLOO aliquoties accidiſſe, ipſius diſcipulus teſtatur [a]). Magis itaque nobis arridet eorum ratio, qui acubus ſepoſitis alia excogitarunt adminicula, quorum ope mamma melius aptiusque contineri poſſit, licet et hi quoque a ſimplicitate

s) l. c. in explic. T. XXXVIII.
t) v. HEISTER l. c. T. II. p. 737.
u) v. SOLINGEN *Handgr. der Wund.* p. 204.
w) v. ARCAEVM l. c.
x) vid. GARENGEOT *Tr. des Oper.* T. II. p. 419. et *Tr. des inſtr.* T. I. p. 342.

y) *Handgriffe* Tab. V.

z) vid. HEISTER T. XXIII. fig. 6. Has furcas emendauit VLHOORN, in *verſ. belgic. chirurg* HEISTERI cit. HEVERMANN p. 306.

a) vid. VLHOORN l. c.

citate et perfectione receſſerint. Et veteres quidem ſola manu mammam et ſcirrhum apprehendiſſe, ex iis quae inferius adducenda ſunt, patebit. Cum autem ob haemorrhagiae metum operationis artificium ponerent, inprimis in celeritate, qua ea abſolueretur, hoc auxilium ab iis neglectum et ad magis compoſita deuentum fuiſſe ex prioribus elucet. Omiſſis tamen filis SCVLTETVS [b]) mammam vinculo variis capitibus donato ligauit, ligatam atramento notauit, et deinde vno ictu abſcidit. Aiii eam forcipe comprehenderunt, valide conſtringente et cultro deinde ſepararunt [c]): item I. VAN HORNE mammam amputandam duobus ferramentis comprehenſam commodiſſime firmari docuit [d]). HELVETIVS, [e]) deinde duas excogitauit volſellas aut tenacula, quorum vnum *Tenette Heluétienne* chirurgis gallicis dictum, cum cuſpides acutas haberet, in ipſam mammae ſubſtantiam immittebatur, et potiſſimum minoribus tumoribus exſtirpandis apta videtur; altera vero ex alis duabus mediante cardine inter ſe iunctis, conſtabat, quibus mamma in ſuprema et infima parte ſub ſectione comprehendebatur. Vltima tandem exſtirpationis ratio, quam adnotatam inuenimus, eſt ea, qua mamma amputanda vno eodemque inſtrumento continetur et reſecatur. Iam ex iis quae CORNELIVS SOLINGEN [f]) adnotauit, adparet, extitiſſe ipſius tempore nonnullos, qui compreſſione annuli cuiusdam ſecantis, quo carcinoma mammae comprehendebant, iſtud reſecare conarentur. Haec vero omnia magis perfecta reddidit auctor illius inſtrumeati, quod Cl. TABOR in peculiari libello deſcripſit [g]), quo HARTMANNVS chirurgus Amſtelodamenſis vſus eſt, cuius inuentionis glo-

 riam

b) Obſ. L. II.

c) v. FABRIC. AB AQVAPEND. *Oper.* p. 58. et ſuper. not. e) Videtur autem FABRICIVS vſus eſſe ea forcipe quam ad ſetacea adhibebat.

d) *Microtechn.* p. 91.

e) vid. *Lettre de* HELVETIVS *à* REGIS *ſur la nat. et la gneris. du cancer.* Paris. 1691. cit. PLATNER *Chir.* §. 291. Delineatas illas vide apud HEISTERVM T. XXIII. f. 1. et DIONIS f. 28.

f) l. c. p. 204.

g) vid. EIVSD. diſſ. *de cancro mam.* apud HALLER. *Diſſ. Chir.* T. II. p. 469. tab. 13. et HEISTER. in *Chir.* Tab. 23.

riam idem de quo ſuperius iam diximus Cl. VLHOORN [h]) ſibi tribuit. Conſtat vero illud duabus laminis ſemicircularibus, cardine iunctis, quibus mamma comprehenditur, atque a ſubiectis partibus ſurſum ducitur. Earum laminarum vna ſimplex eſt, altera duplex, rimam continens, per quam falcatus culter transmittitur, qui, manubrio inſtrumenti ſiniſtra valide apprehenſo, dextra ab inferioribus ab axillam vſque in ſemicirculum ducitur, vt mamma in baſi vno ictu a reliquo corpore ſeparetur [i]). Licet vero hoc inſtrumento mamma citiſſime reſecetur, caret tamen illud minime pluribus incommodis: inprimis hoc, quod radices in quarum tamen ſeparatione tota operationis virtus poſita eſt, hac ratione reſcindi haud poſſint: vt tantum in mamma non adhaerente, vſum aliquem praeſtare queat.

## §. X.

*Methodus exſtirpationis nunc vſitata deſcribitur.*

Sed agedum accedamus iam ad methodum, qua recentiores chirurgi, in carcinomatis in mamma poſiti exſtirpatione, ſolius ſcalpelli et digitorum ope, tumorem inciſa cute lente a ſubiectis partibus ſeparant. Veteres iam, in minoribus tumoribus mammarum et ſcirrhis nondum motis exſtirpationem, nonnunquam tentaſſe, cum in his haemorrhagiam non admodum metuerent, ex variis auctorum locis apparet [a]). Cum vero eam rationem in minoribus tantum tumoribus, vt plurimum, obſeruauerint, non vero in mammae totius amputatione, in qua ſemper cauterii actualis vſum cum ſcalpello coniunxerunt, et praeterea vno ictu, non lente, quod nunc fieri ſolet, tumorem reſcinderent; vix ante FABRICIVM AB AQVAPENDENTE et HILDANVM methodum,

h) Vid. HEVERMANN p. 306.

i) Cl. HEVERMANN p. 306. hoc inſtrumentum minus recte deſcripſit, cum ex figura Cl. TABOR non bene intellecta, coniecerit, conſtare illud tribus cultris, quorum duo compreſſi exſtirpationem abſoluerent, tertius vero ſupra humerum figeretur.

a) PAVL. AEGINETA L. VI. c. 35. ex GALENO in cancro. AETIVS IV. 4. 44. in cancro, atque ex LEONIDA cap. 45. et 50. in ſcirrho.

thodum, de qua nunc agimus, deſcriptam inuenimus. Et prior quidem [b]), ſi cancer non forcipe ſtringi infraque eam exſcindi poſſit [c]), iubet cultro ligneo aut corneo, ſubinde aqua forti imbuto, totam cutem in circuitu mammillae incidere, tuncque digitis potiſſimum et vnguibus glanduloſam mammae ſubſtantiam a partibus ſubiectis ſeparare. Quae quidem methodus a FABRICIO propoſita, etſi ipſe eam nunquam adhibuerit, ſi aquae fortis adplicationem excipias, qua haemorrhagiam compeſcere tentauit, ſatis cum noſtra conuenit. HILDANVM autem, cute circa tumorem inciſa, digitis illum et ſingularis cuiusdam cvltri ſeparatorii ope, a ſubiecta carne ſeparaſſe, apud ipſum adnotatum inuenimus [d]). Neque parum a methodo recentiore differt ea, quam VAN HORNE propoſuit [e]). Ille enim mammam, ſi mobilis eſt, qualis ſecundum eius mentem eſſe debet, vt tuto operatio fiat, manuum ope ſenſim a pectore abſtrahit, quo facto in ſuperiore eius parte cutem incidit, et immiſſis digitis glanduloſam mammae ſubſtantiam a muſculo ſeparat, deinde reliquam cutem et pinguedinem in orbem abſcindit. Quae quidem methodus, quamuis ſimpliciſſima ſit, et ob hanc ipſam ſimplicitatem maxime commendabilis, tamen non vbique introducta fuit, ita vt gallici chirurgi primo demum aut ſecundo huius ſeculi decennio ea vti coeperint, quos alii deinde ſecuti ſunt [f]). De ipſa autem ratione, qua inſtitui debet, haec annotanda putamus. Aegra collocetur in ſella humiliore, cuius fulcimentum aliquantum reclinatum ſit, aut tali quae plane eo careat, quod conſultius videtur. Oculi obtegantur faſcia, ne aegra inſtrumentorum et ſanguinis adſpectu perculſa lipothymia afficiatur. Caput eius teneatur et retrorſum paullulum flectatur ab vno ex adſtantibus, aegrae a tergo conſtitu-

to

b) *Operat.* p. 58.

c) Vid. ſupra §. IX. e. et c.

d) *Cent.* II. Obſ. 79. vbi quoque culter delineatur.

e) *Microtechn.* p. 91.

f) Iam Cl. DIONIS eam propoſuit. p. 465. ſeq. Illa autem exſtirpationis ratio, quam HEISTERVS vt nouam diſſ. cit. deſcripſit, a vera recentiorum methodo differt, in eo, quod mammam ab inferiore eius parte incipiens vno ictu ſeparauerit.

to, ita vt in eundem aegra ſe capite inclinare poſſit. Idem quoque cutem in ſuperiore mammae parte paullulum tendat, aut, ſi conclauis anguſtia plurium auxilium non permittit, ipſam mammam ſubleuet. Alius ex adſtantibus brachium aegrae in horizontali directione extenſum firmet, quo pectoralis muſculus planum referat. Tertius aliquis alterum brachium in ſitu apto contineat: quartus vero ipſam mammam amputandam, ſi id a chirurgo ipſo fieri non poteſt, teneat, prout id operatori commodiſſimum eſt. Attendendum tamen eſt, ne mamma nimis prematur ac validius attrahatur. Alios quoque adſtantes praeſto eſſe debere, qui chirurgo inſtrumenta neceſſaria porrigant, aut arteriarum diſciſſarum orificia obtegant, per ſe patet. Quamquam pro diuerſitate circumſtantiarum magna quoque, quoad numerum diuerſaque adſtantium officia, eſſe poterit varietas; vt adeo nihil in hac re definiri poſſit, in quo exceptio nulla locum habeat. Aegram ligare [g]) neque neceſſarium neque vtile eſſe duco, cum exinde tantum metus eius augeatur, adſtantes vero illam in ſitu apto ſatis retinere queant. Inſtrumenta quibus in hac operatione vtendum eſt, ſunt duo ſcalpelli recti, ſatis validi, quorum vnum alterum magnitudine paullulum ſuperat [h]), volſella, forfex, acus nonnullae cum filis, ſi forte arteria aliqua liganda eſſet, quod tamen nunquam neceſſarium huc vsque vidi, aliaque minoris momenti, v. c. ſpongia etc. qualia in omnibus operationibus chirurgicis requiruntur. Aegrae autem ſitu hac ratione ordinato, chirurgus ante illam vel in humiliore ſella conſideat, vel vti gallici chirurgi facere ſolent, in vnum genu procumbat, ſicque ſe ad ipſam operationem accingat. Iam vero opus eſt, vt de primae inciſionis loco diſpiciamus,

qui

g) Ligauit aegram NANNONI p. 95. etc.

h) HEISTERI cultrum vide in *Chirurg.* T. XII. f. 14. Scalpellum cuius figuram Cl. FALLVCCI dedit in diſſ. *de amputat. mam.* quae in germanicam linguam translata in *Sammlung Chir. Bemerckung.* Vol. II. reperitur (vid. ibid. Vol. I. tab. I. f. 8.) nimis paruum ad amputationem mammae eſſe videtur. Scalpella quibus nunc in hac operatione in Gallia vtuntur, cultris ſic dictis inciſoriis aut cultris vulgaribus ſatis ſimiles ſunt. Interim quodcunque ſcalpellum, ſi neceſſitas vrget, adhiberi poteſt.

qui varie a variis auctoribus determinatur. Antea iam monuimus veteres chirurgos in mammae amputatione ab inferioribus verſus ſuperiora proceſſiſſe, quo vaſorum trunci vltimo laederentur, neque ſanguinis profluuium operatori impedimento ſit, quod et nonnulli recentiorum eodem modo praecipiunt[i]). Quocum eorum conuenit ſententia, qui ſectionem a ſterni latere ex eadem ratione incipi volunt[k]). Interim, vix puto hac in re tanta cautione opus eſſe. Nam in vniuerſum vaſa, quae mammam adeunt, non adeo magna ſunt, ſed in minores ramos iam diuiſa, atque licet maiores quidam rami ex *mammaria*[l]) in ſuperiore parte poſiti ſint, ii tamen longe minores ſunt iis, qui ex *thoracica ſuprema* et *longa* HALLERI adueniunt, magisque exterius ſiti deprehenduntur[m]). Accedit, quod in ipſa operatione ſanguinis nimia copia, chirurgo moleſta, agarici ope facile ſiſtatur: et quod totius huius operationis praeſtantia non in celeritate, qua peragitur, poſita ſit, ſed in praeſciſſione accurata radicum carcinomatis. Hinc ſuaderem vt chirurgus ſectionem incipiat in eo loco, qui ei commodiſſimus eſſe videtur, et vbi maior portio cutis vno ictu diuidi poteſt. Erit autem hoc, ſi mamma dextra amputanda eſt, in interiore latere ad ſternum, ſi ſiniſtra in exteriore. Cutem vero adſtantes aeque ac chirurgus ipſe, ſemper in ſectionis loco ita tendant, vt, ſi nullum in ea vitium ſit, maior eius portio conſeruetur. Quo minor enim portio ablata eſt, eo celerius vulneris ſanatio, ceteris paribus, contingere ſolet; quam celeritatem praecipue in eiusmodi vulnere, ſumme exoptabilem eſſe, alio loco demonſtrauimus[n]). Prima inciſio omnesque reliquae, perpen-

i) Vid. PLATNERI *Chirurg.* §. 268. ed. lat.

k) Vid. RONDELETIVM *Meth. de cur. morb.* L. II. c. 24. LE CAT *Prix.* l. c. T. I. p. 258.

l) Ex his ſolis ramis haemorrhagiam oriri HEVERMANN p. 309. ſed vt plurimum ex thoracicae ramis maior ſanguinis copia profluit.

m) Confer, Ill. HALLERI *Icon. Anat.* Faſcic. VI. tab. I. et in *Elem. Phyſ.* T. III. p. 102. 103. it. Cl. KÖLPIN p. 10. et 13. Notandum tamen eſt truncum ipſum infra muſculum decurrere, neque aliter quam hoc muſculo diſciſſo laedi poſſe.

ad perpendiculum fiat, quoniam talis inciſio tantos dolores excitare non ſolet, quantos obliqua; laeſis quippe paucioribus neruis cutaneis [o]). Extendatur vero ea in longitudinem, ſic, vt ad minimum latitudinem manus ſuperet, et, ſi poſſibile ſit, plus quam tertia ſecandae cutis pars hac prima ſectione diuidatur. Immittatur deinde in vulnus, quo cutis et pinguedo ſubiacens diuiſa fuit, ſiniſtra manus, et radices carcinomatis, digitis, ſcalpello adiuuandis, ita ſeparentur, vt glubendo eximantur. Etenim hac ratione melius extrahuntur, neque tantopere metuenda eſt ſanguinis profuſio [p]). Attendat porro chirurgus, ne radices paullo firmius adhaerentes nimium trahat, ſed vt ſtatim, ſi reniſus digitis vinci non poſſit, ſcalpello iis ſuccurrat, quo dolor et neruorum diſtentio vitentur. Magna itaque parte hac ratione ſeparata, aliam rurſus, atque (ſi v. c. ſectionis initium a ſterni latere factum ſit) verſus axillam adſcendendo, tandemque eam, quae ſuperius reſtat, diſſecet [q]), tuncque totum mammae corpus ita ab aegrae corpore abducat, vt ex radicibus, adhuc ſubiectis partibus adhaerentibus, illas, quae ſuperiores ſunt, primo reſecet [r]). Explorandae vero ſunt illae, cum digitorum ope, tum etiam oculis, ſi mamma a corpore deducta brachium relaxatur. Poteſt autem, vti monuimus, in mamma, deleta eius glanduloſa ſubſtantia, cauitas reperiri, ichore repleta. Talis ſi adeſſe ex fluctuatione in tumore percepta cognoſcitur, caueat chirurgus ne rupta ea, ſub ipſa amputatione, profluens ichor recens vulnus cancri contagio inficiat, aut chirurgo ipſi, ſi digitum forte ſcalpello laeſerit, periculum exinde oriatur. Caute igitur eam ſeparet, et

n) Vid. ſup. §. VIII.

o) Vid. GARENGEOT p. 421. et LA FAYE ad DIONIS p. 465.

p) Sanguis enim ex ſectis vaſis maiori cum impetu ruit, quam ex ruptis vel dilaceratis vid. PLATNER §. 265. et LVDWIG *Chir.* §. 217.

q) Vulnus in amputatione mammae non perfectum circulum referre debet, cum id ſatis aptam figuram habeat, ſi modo omne id, quod vitiatum eſt, ablatum fuerit.

r) Saepe tres inciſiones ſufficiunt, nonnunquam tamen in tumore magno quatuor opus eſt.

et ſcalpello potius, quam digitis vtatur, moneatque ne is, qui mammam ſubleuat, eam nimis premat [s]). Poſſet etiam inciſione in ſuperfice facta, ichor ante amputationem ex cauo emitti, niſi verendum eſſet, ne totum mammae corpus tunc ita ſubſideat, vt diſficilius comprehendi et ſeparari poſſit.

## §. XI.

*Continuatio.*

In vniuerſum vero chirurgus poſt reſciſſionem mammae, ad duo praecipue momenta attendat, ad radices ſcilicet carcinomatis adhuc relictas et ad haemorrhagiam. De radicibus quidem, quo nomine, etiam omnes alias vicinas partes ſcirrhi vel carcinomatis vitio affectas comprehendimus, valet axioma, illas omnes, quantum quidem fieri poteſt, ſub operatione eximendas eſſe. Reſciſſa igitur mamma vulnus ſtatim oculis et digito perluſtret. Licet enim aegra diutius vexetur, ſanguinisque profluuium paullo maius fiat; leuius tamen hoc malum eſt quam illud, quod oriri ex nimia feſtinatione poſſet. Eximatur igitur omne id quod vitiatum eſt ne muſculo pectorali [a]), aut tendini eius [b]) exceptis. Idem quoque valet de tela celluloſa indurata, nempe ſi durities admodum magna eſt. Leuiorem enim ſcalpello tolli neceſſe non eſt, cum in ſequente ſuppuratione emollita ſenſim ſoleat euaneſcere [c]). Varicoſae pariter venae circa mammam incuruatae, ſi celluloſa tela quae illas ambit, corrupta eſt, tollantur ſcalpello, non actuali cauterio, vti veteres facere ſolebant [d]), qui omnem quoque nigrican-



s) Interim cum omni adhibita cura hoc non ſemper vitari omnino poſſit, chirurgus aqua et vino ſtatim vulnus eluat, et vel aliquo modo a venenato liquore purget.

a) Si fieri poteſt, etiam in hoc caſu muſculus ille diſſecetur ſecundum fibrarum directionem, vid. LA FAYE p. 467.

b) Vid. VOGEL *Chir. Warn.* p. 15.

c) Vid. AKRELL *Chir. Haendelſ.* p. 124. Exemplum pinguedinis induratae, poſt exſtirpationem glandularum ſcirrhoſarum in collo, ſuppuratione liquefactae, vide apud Cel. LVDWIG *mon. de exſc. tumor.* p. 11.

d) Vid. PARAEVM L. VII. c. 31. Ferramentum delineauit DIONIS l. c. fig. 23. litt. h.

gricantem ſanguinem, quem cancri fomitem eſſe putabant, caute ex iis exprimebant[e]). Quodſi autem, vti vere accidiſſe obſeruatum eſt, cancri radices ad ſternum et coſtas penetrauerint, iisque adhaereant, tunc ſane ſuſpicio oritur, iſtas quoque partes, quoniam cancri venenum oſſa ipſa afficit, ea labe vitiatas eſſe, quam cancrum oſſis appellare poſſumus, cum ſpecies ſit cariei a cancroſo ichore ortae et cum carcinomate coniunctae[f]). Quo in caſu, malum vt plurimum ſolet redire, etiamſi vitioſa pars exſtirpatata fuerit[g]). Interim cum in ſummo malo ſumma quoque adhibenda ſint remedia, ex oſſibus ipſis radendo ſcalpro vitiatae partes eximantur[h]), aut cauterio deleantur. Si vero radices per coſtarum interſtitia deſcendant, et intercostales muſculi profunde infecti deprehendantur, tunc omnino metuendum eſt, ne eae ad pleuram vsque penetrauerint, et in thoracis cavo vitium lateat. Quare hic cauſticis potius et digerentibus duriores eiusmodi partes tollendae ſunt, cum ſcalpellum in tali grauiore caſu vix adhiberi poſſit. Neque minorem profecto curam exigunt glandulae axillares tumefactae. Tales ſi ipſi mammae ſcirrhoſae adhaerent, neque ad vaſa axillaria pertinent, in ipſa operatione vna cum mamma ita exſcindantur, vt exſtirpationis initium fiat ab hiſce glandulis, cum earum curatio et attentionem requirat et difficultatem habeat maiorem, quam ipſius mammae amputatio. Poſſet vero in hac re praeſtanda, cutis ſectione, quae litterae V formam habet, ita diuidi, vt baſis relictae partis (*lambeau*) mammam reſpiciat, atque glandulae cuti adhaerentes vna cum illa ſeparentur

e) Vid. GALEN. *Meth. Med.* L. XIV. c. 9.

f) Vid. Cel. LOVIS *Obſ. ſur les eff. du vir. chancr.* LA SONE *Prix de l'Ac. de Chir.* T. I. p. 288. et LE DRAN *Mem.* T. III. Obſ. 32. et 33.

g) Cancrum, cum quo exoſtoſis ſterni coniuncta erat, exſtirpauit Cl. LE CAT. Sed poſt octo menſes ſternum et coſtae iterum intumuerunt. Vid. *Prix* l. c. p. 256.

h) Feciſſe ſe hoc Cl. LE CAT teſtatur l. c. p. 50. et 262. et apud VANDERMONDE T. XIV. p. 261. BIDLOVS coſtas poſt carcinomatis exſtirpationem vnguento fusco WÜRZII aggreſſus eſt. Vid. HEISTER p. 736.

tur [i]). Si vero longius a mamma diſtent, conſultius eſſe putamus, paucos adhuc dies expectare, et videre, an illae a ſola forte compreſſione maioris tumoris intumuerint. Quod ſi ita eſt, ſponte quandoque detumeſcunt. Si autem manent tumidae vel carcinomatis labe adfectae deprehenduntur, tunc aut ligatis vaſis, quae illas adeunt [k]), ſeparentur; aut exſecentur ſcalpello, ea tamen adhibita cautione, vt dorſum eius verſus vaſa axillaria dirigatur [l]). Enim vero tenendum eſt, has glandulas non adeo propinque ad vaſa ſitas eſſe, vt vulgo putatur, quod facile cognouerit, qui diligentius cadauer aliquod hoc maxime conſilio inſpexerit [m]). Quapropter etiam earum ſeparatio, niſi plane in ſuperiore axillae parte reconditae ſint, omnino ſine vaſorum maiorum laeſione inſtitui poterit [n]). Alterum porro momentum, quod animi attentionem non vulgarem, ſtatim poſt mammae amputationem, requirit, eſt ſanguinis profluuium. De quo quidem in vniuerſum hoc adfirmare recte poſſumus, non adeo magnum illud eſſe, vt mortem afferre poſſit, cum arteriae mammae, inprimis in obeſis paruae tantum deprehendantur [o]), ramique maiores ſub pectorali muſculo reperiantur, qui vero ipſum permeant, minores tantum ſint [p]). Accedit ad hoc, quod arteriae in ipſo tumoris loco obuiae, vel non longe ab eodem decurrentes, ob compreſſionem quam patiuntur, vt plurimum non multum extenſae appareant [q]). Praeterea quoque paullo largior haemorrhagia, ſine periculo tolerari poteſt, in-



i) Vſus eſt ea methodo LE CAT. Vid. *Iourn. de Med.* l. c. p. 257.

k) LE DRAN *Oper.* edit. Angl. p. 303. id. *Conſultat.* p. 59.

l) Vid. LA FAYE ad DIONIS p. 467. Glandulas axillares ferro iam exſecauit HILDANVS L. II. p. 79. vbi et forceps picta eſt, qua eos paullulum attraxit. Ligavit vero ante earum ſeparationem vaſa ad illas migrantia.

m) NANNONI p. 96.

n) Si vtraque mamma exſtirpanda eſſet, operatio vno eodemque die, ſi vires non maxime depreſſae ſint, fieri poſſet. Fecit hoc Cl. MALAVAL *Mem. de Chir.* T. III. p. 25.

o) Hoc ex parua haemorrhagia, quae in mammae amputatione obſeruatur, iam declarauit VESALIVS *Exam. Obſ. Fallop. in Operibus* T. II. p. 797.

p) Vid. HALLER *Icon.* Faſc. VI. tab. I. et ſuperius §. XI. not. l.

q) vid. LVDWIG *monit. de exſc. tum.* p. 5.

primis in plethoricis, cum aduerſus inflammationem ſit auxilium r), quamquam non aeque in debilioribus. Poterit autem ſanguis ſub tali operatione prodiens compreſſione et agarici ope ſiſti, cum raro ligatura opus ſit s). Interim accidere quandoque ſolet, vt arteriae, quae minores eſſe videntur, tamen agaricum requirant, nempe tum cum haemorrhagia, in aegra lipothymia correpta, minuitur. Hic enim ſaepius fit, vt, poſtquam ad ſe redierit talis foemina, ipſum quoque ſanguinis profluuium noua vi redeat, ſi arteria maior ex qua antea, non magna admodum ſanguinis copia profluxerat, agarico obtecta haud fuerat. Puluerum adſtringentium adplicatio t) apta mihi hic non videtur, quoniam bonam ſuppurationem impedire cauſſaque eſſe poteſt, vt vulnus in vlcus tranſeat. Vt nihil dicam de alio periculi genere, nempe de thrombis, qui ex coagulantium fortiorum vſu producti, ad cor et pulmones deſcendere poſſunt u).

## §. XII.

*De exſtirpatione ſcirrhi minoris in mamma.*

Quam hactenus deſcripſimus methodum, ea maxime in mammae integrae amputatione adhibenda eſt. Iam vero minus aliquod vitium in mamma ſubinde obſeruatur; in quo cum nulla ſit totius mammae reſecandae neceſſitas, operatio quoque minoris omnino momenti eſt. Vna enim inciſio a) plerumque ſufficit, brachio lateris adfecti firmato, qua, tenſis integumentis cutis et pinguedo ad ſcirrhum vsque diuiduntur, cautione habita ne ipſe ſcirr-

r) Veteres paullo largius ſanguinem profluere ſinebant, ſpe ducti promanantem ſanguinem cancri materiam vna abducturum eſſe. Quod tamen vix puto aliquid prodeſſe cum vitium ſolidis ipſis potius inhaereat, nec aliquot ſanguinis guttulis abſtergi vere poſſit.

s) Vidit tamen eam neceſſariam fuiſſe Cl. PALLVCCI l. c. p. 173. ſed ibi arteriae tumorem adeuntes dilatatae erant. Conf. SHARP. l. c. p. 151.

t) BIDLOVS ſolo gypſo vſus eſt. vid. *Ex. An. Chir.* p. 157. HEISTERVS autem *Chirurg.* T. II. p. 735. puluerem ex adſtringentibus adhibuit.

u) Metuit hoc infortunium SWIET. §. 490. 2.

a) Figuram ſectionis vide apud HEISTER. *Chirurg.* T. XXII. f. 1. et 2.

ſcirrhoſus tumor laedatur. Magnitudo vero ſectionis ex magnitudine ſcirrhi definienda erit. Quapropter ſi intelligatur nimis paruam ab initio eam factam eſſe, ita vt ſcirrhus quaſi ex ea excreſcat et prorumpat, non vero totus protrahi poſſit, vulnus dilatari debet. Prehendatur deinde ipſe ſcirrhus volſella, vel filo b), vel hamulis, vel, quod optimum eſt, digitis, abductusque glubendo iisdem ſub cautelae regulis ſeparetur, quibus in ſeparatione mammae totius opus eſſe diximus c). Si ſcirrhus paullo maior fuerit, pro magnitudine tumoris inciſio ita debet inſtitui, vt vel litterae T vel X vel V formam habeat, quod vltimum propterea mihi optimum videtur, quia inciſio tunc vnum tantum angulum habebit. Ipſum porro cutis angulum chirurgus hamulis aut volſellis vel digito attollere et a ſubiecto tumore ſeparare debet, donec totus ſcirrhus nudetur. Quod ſi fecerit, magna cutis portio ſeruabitur, ſicque vulnus celerius claudetur, ac meliore cicatrice firmabitur, quam, ſi ſectio rotundam formam habuerit. Laciniam vero cutis, inter duo crura ſectionis ſuperſtitem, ſectione auferre nimis crudele multi exiſtimant. Putant enim eam in curatione vulneris cum reliqua cute coire, ſicque vulnus celerius ſanari: atque ſi maxime iſta cutis tollenda eſſet, id tamen melius fieri poſſe ſuppuratione inſequente, quare etiam ſcarificare eam nonnunquam ſolent. At vero iſti nos non habent conſentientes. Sectio enim ſemel inſtituta leuiorem dolorem excitat, quam plura eiusmodi vulnuſcula, quamuis multa minora. Atque in omnibus eiusmodi vulneribus obſeruatur, laciniam illam ſuppuratione conſumi

b) Conf. SEVERIN. l. c. IX. 9.

c) Non alienum eſſe duximus, hic mentionem iniicere eius operationis, qua apud veteres mammoſi viri, cum mammas maiores effoeminatae naturae ſignum eſſe putarent, pinguedinis partem ſibi exſcindi patiebantur. Lunata enim ſectione in inferiore mammae parte facta ſuperfluam pinguedinem extrahebant, vulneris oris ſutura deinde vnitis. Nonnunquam duas lunares ſectiones iuxta extremitates ſe mutuo contingentes faciebant, quarum minor a maiore comprehendebatur. vid. PAVL. AEGINET. L. VI. cap. 46, adde FABRICIVM AB AQVAPEND. *Oper. Chir.* p. 39.

ſumi, ita vt conſultius videatur, eam in operatione ipſa auferre. Accedit quod haec cutis, quae tumori vt plurimum adhaeret, ſaepe vitiata et pinguedo ſubiecta indurata ſit. Quae vitia ſi paullo grauiora deprehendantur, vel totius mammae amputationem, vel oualem cutis ſectionem requirunt. Atque huius quidem ſectionis extremum vnum papillam, alterum vero brachium reſpiciat, et ita dirigatur, vt nil vitiatae cutis remaneat. Poteſt tamen haec inciſio ceteris paribus, etiam dimidium tantum latitudinis ipſius ſcirrhi habere, cum maior cutis portio hoc modo conſeruetur et tamen ſcirrhus eximi poſſit [d]). In omni autem exſtirpatione tumoris parui chirurgus papillae parcat, ſi nihil vitii in ea eſt, ob dolorem, et futuram grauiditatem. Si vero ſemel area eius laedi debeat, aut poſt tumoris ſub papilla poſiti extractionem illa cuti tantum adhaereat, tunc omnem reliquam papillam reſecet, quoniam in illo loco, alia ratione raro firma cicatrix obtineri poteſt, et exempla adſint docentia, ex hac ſola cauſa vulnus in vlcus cancroſum iterum degeneraſſe [e]).

## §. XIII.

*De cura vulneris et corporis aegrotae poſt operationem.*

Supereſt, vt dicamus de vulneris curatione in foemina mammae amputationem perpeſſa. Quam ſi recte inſtituere diligens chirurgus cupiat, ipſius cura primum verſabitur in eo, vt, carcinomate eiusque radicibus exſectis, arteriarum orificiis agarici fruſtula rite adplicentur. Deinde omne vulneris cauum tegatur linteo tenui,

d) vid. SHARP *Operat.* p. 130. Eadem ſectione ouali, quae minor eſt tumore, in ipſius mammae amputatione cutem nonnulli anglici chirurgi diſcindunt, eaque ſeparata, omnem tandem tumorem extrahunt, quo celeriorem vulneris ſanationem obtineant. vid. CHESELDEN in notis ad LE DRAN p. 454. Tab. X. Ad quod artificium chirurgo non immerito attendendum eſſe puto, ſi parua tantum mamma exſtirpanda ipſi fuerit, cutis circa illam non vitiata neque metus ſit, mammam nimis arcte pectorali adhaerere.

e) vid. VACHER diſſ. cit. p. 131. apud PLATNER *Chir.* ed. germ. T I. p. 251.

tenui [a]), cui lintei carpti quantum opus eſt imponatur, quo vulnus omne aequaliter poſſit comprimi. Veteres quidem, vti omnium fere vulnerum maiorum labia ſuturae cruentae ope vnire ſtudebant, ita in hac quoque tumorum in mamma exſtirpatione ſimile quid tentarunt. Quam tamen methodum recentiores chirurgi propemodum omnes, tanquam minus aptam reiiciunt [b]). Etenim neque cutis labia hac ratione perfecte contrahi, idque non ſine grauiſſimo dolore et tenſione violenta poſſunt: neque vtilis ſtatim eſſet in initio talis vnio, quoniam vulneris ſuperficies vniuerſa non diligenter ſatis disquiri, aut medicamenta apta applicari potuerint. Alia igitur ratione, hac noſtra aetate, in eiusmodi vulneribus curandis vti conſueuimus. Scilicet ſi longam figuram accepit vulnus, ſplenia longa ad latus ponantur, et praeterea ſuturis ſiccis labia ſenſim ad ſe inuicem adducantur. Quodſi vero tota mamma amputata fuerit, ſuturae ſiccae ſupra lintea carpta ita applicentur, vt formam crucis vulgo melitenſis dictae, accipiant. De reliquo autem faſciarum apparatu videat chirurgus, vt lintea carpta et puluilli impoſiti, prout neceſſe eſt, illis contineantur, vulnerisque ſuperficies inprimis ab initio bene comprimatur, cautione tamen habita, ne compreſſio nimia ſit, aut laedat forte alteram mammam. A nimia enim faſciarum compreſſione originem puto habuiſſe difficultatem reſpirationis quam nonnulli obſeruarunt in iis, quibus mamma amputata fuerat, quamquam iſti eam ex laeſione muſculorum reſpirationi inſeruientium deriuarunt. Laudantur vero ad deligationem vulneris eiusmodi variae faſciarum ſpecies, vt

a) vid. LVDWIG. *Inſt. Chirurg.* §. 943. LA FAYE l. c. p. 466. plura fruſtula lintei diſciſſi imponit, quod ideo nobis placet, quia ſi vel maxime ſuppuratio nondum in omni vulnere comparuerit, tamen pars nouis linteis muniri queat, quod vix fieri poteſt, ſi vnum linteum vulnus tegat.

b) vid. MERCATVM l. c. Lib. I. cap. 13. Cruenta quoque ſutura NANNONI, cum in minoribus ſcirrhis, tum in maioribus vſus eſt vid. p. 75. 80. 96. Forte tamen haec ſutura produxit grauia ſymptomata, in aegra p 80. orta.

vt *ſcapularis (le ſcapulaire et la ſerviette)* [c]) *cataphracta* [d]), et *ſuſpenſorium mammillae compoſitum* [e]). Sufficere autem arbitror, ſi primis tantum diebus cataphracta, aut alia faſcia circularis adhibeatur, poſtea vero ſolum ſuſpenſorium mammillae. Debet autem prima, quae applicatur, faſcia, paullo arctius conſtringi, quo vulnus ſatis comprimatur, cum ſemper, ſi aegra, poſt operationem in lecto collocatur, quae antea arctiſſima erat faſcia, nunc ſitu corporis mutato relaxetur. Neutri autem lateri aegra incumbat, ſed recte in dorſo collocata iaceat, brachio tamen lateris affecti, paullulum eleuato et inflexo. Atque hic quidem ſitus per quadraginta octo horas, quiete immota ſeruandus eſt. Vix tamen ſuaſerim brachium ipſum faſciae ope trunco corporis alligare, cum id aegrae nimis moleſtum foret. Poſſet etiam ex nimia compreſſione oedema oriri, quale ex hac cauſſa maximo aegrae cum incommodo accidiſſe relatum legimus [f]) Si magnus haemorrhagiae rediturae metus ſit, aut vere illa, praeterlapſa vna alteraue poſt exſtirpationem hora iterum redeat, faſciarum compreſſio poſſet adiuuari compreſſione manuum adſtantis miniſtri. De ipſa corporis cura, ſub vulneris curatione, certae regulae vix dari poſſunt, quia pro vario corporis ſtatu, diuerſa quoque ratione diaetae et via medendi opus erit. Aegrae diaeta in initio maxime tenuis ſit, qualis in grauiter vulneratis eſſe debet. Attamen videndum ſimul eſt, ne corpus nimium eneruetur, ſed vires aliquo ſaltem modo, in primis in debilioribus ad febrem inflammatoriam excitandam ſuſtineantur. Iſta vero febris ſecundo vel tertio die accedit, et pro diuerſa aegrae morbique natura et conditione vel analepticis, iuſculis, vino et cortice peruuiano magis adhuc excitanda; vel venaeſectione, acidulatis et nitroſis intra ſuos limites retinenda eſt. Sub reliqua curatione cibum modicum

c) vid. DIONIS p. 462. HENCKEL *Anweiſung zum chirurgiſchen Verband* Ed. II. p. 130. f. 52. Non ſufficere illam HEISTERVS diſſ. cit. probat.

d) HEISTER l. c. p. 524. HENCKEL p. 138. f. 57.

e) vid. PLATNER ed. germ. T. I. p. 293. HENCKEL p. 136. f. 56.

f) v. LE CAT apud VANDERMONDE. p. 260.

cum et ſalubrem, remotis omnibus acribus ſumendum eſſe, per ſe patet. Nonnunquam vini generoſioris paruus hauſtus concedi poteſt. Ceterum magnas corticis peruuiani virtutes eſſe, ad vires ſuſtentandas aptamque ſuppurationem excitandam, omnes qui talium aegrotantium curam habuerunt, nobis conceſſuros ſperamus. In pure nimis ſpiſſo prodeunte, lenia decocta reſoluentia egregium habere effectum memini. Purgantia initio vix exhibenda erunt. Lubricantibus potius et clyſmatibus aluus libera ſeruanda eſt. Vbi vero ad ſuppurationem nimiam coërcendam aut aliam ob cauſſam purgantium vſus primo curationis tempore neceſſarius eſt, antiphlogiſtica delegerim. At in curationis contra fine ad minuendum affluxum humorum et fungum reprimendum, purgantia magnae vtilitatis eſſe, experientia confirmatur, ita vt hoc auxilio chirurgus carere vix poſſit. In ipſius vulneris cura, obſeruandae veniunt, illae regulae omnes ad quas in qualibet vulneris curatione attendendum eſt. Primis diebus, primo faſciarum apparatu non mutato, poſſunt, ſi neceſſitas vrget, cataplaſmata aut epithemata puluillis imponi, prout, ad inflammationem nimiam coërcendam, aut ſuppurationem adiuuandam, emollitione vel diſcuſſione opus eſſe chirurgus iudicauerit. HELVETIVS ſemper maxime ad inflammationis periculum auertendum, eiusmodi vulneribus cereuiſiam cum butyro coctam adplicauit [g]), quod remedium vbi ſub primis deligationibus lintea carpta vulneri nimis tenaciter adhaereant, omnino vſum praeſtare poteſt. Poterit vero primus faſciarum apparatus ſolui, ſecundo vel tertio aut quarto die, prout ſuppuratio celerius aut tardius euenerit, aut prodiderit ſe odore ſuo et pure per ſplenia penetrante [h]). Faſciarum apparatum, per omne reliquum curationis tempus, ſaepius ſolui, periculo haud carere putauerim, cum aëris acceſſus in tam lato vulnere noxius omnino ſit, cutisque iunctio, quae omni



g) vid. HEISTER. *Chir.* l. c. p. 736.

h) Nimium differre primam deligationem vetat PALVCCI l. c. p. 176. Atque ſane accommodandum eſt tempus deligationis primae progreſſui ſuppurationis, quae adeſſe debet antequam faſciae prima vice ſoluantur.

ſtudio promouenda eſt, hac ratione impediatur. Hinc quoque, ſi vulnus ſimplex ſit, ſaepe ſola lintea carpta ſicca ſufficiunt [i]), cum inanis multorum remediorum adplicatio, ſaepe plus noxae quam vtilitatis habeat [k]). Caueat inprimis ſibi chirurgus ne emollientibus abutatur, quum exinde eiusmodi vulnera facile in vlcus mutentur, quod vt plurimum in carcinomaticam iterum naturam degenerat. Sub eiusmodi curatione extractum cicutae, reſoluentibus et digerentibus aut extracto ſaturni GOULARDI admiſtum multum profuiſſe, omnemque vulneris ſuperficiem ad bonam ſuppurationem diſpoſuiſſe vidi. Cetera remedia applicanda, facile ſuppeditabit vniuerſa vulnerum theoria. Magnam autem ac diligentiſſimam curam chirurgus in eo ponendam habet, vt ſub vulneris eiusmodi cura, partes duriores poſt exſtirpationem adhuc reliquas deſtruat, fungum porro, qui facillime carcinomaticus fit, coërceat, et vulneri tandem firmam cicatricem inducat. Hinc primum partes iſtae duriores eximendae ſunt, quam fieri poterit citiſſime, ſcalpelli potiſſimum ope; alias enim mira velocitate in fungoſam carnem excreſcent. Interim tamen cauſtica quoque cum in veris ſcirrhi radicibus tollendis, ſi modo illae in parte non nimis neruoſa lateant, tum in leuiore pinguedinis induratione reſoluenda, egregium vſum praeſtare ſolent [l]). Eſt tamen hac in re aliqua varietas obſeruanda, cum non promiſcue cauſtica omnia adhiberi poſſe videantur. Nam lapis infernalis, cum duriorem faciat eſcharam, tantum adplicari poterit vel ad reprimendam carnem fungoſam ex omni vulneris ſuperficie aequaliter ſaepe prorumpentem [m]): vel ad tollendam calloſitatem

i) De vſu huius rei etiam in noſtro caſu, vide quae Cl. PIBRAC nuper in *Mem. de l'Acad. de Chir.* T. IV. p. 69. ſeq. ſuper hoc argumento diſſeruit.

k) De medicamentis vulneri applicandis vid. LA FAYE ad DIONIS p. 467. De remediis veteribus vſitatis, vide AETIVM l. ſup. cit. et DALLA CROCE p. 89.

l) Vidi cauſtica partes duriores minores in pinguedine profunde ſitas ſuſtuliſſe, adplicatis vero iis ad ſcirrhos minores in vulnere relictos, propius ad cutis diſſectae labia ſitos, malum exaſperatum fuiſſe, vt breui tempore chirurgus intelligeret ſcalpello opus eſſe.

m) Duplex eſt fungus, qui ex eiusmodi vulnere excreſcit. Alius ex omni

vulnere

quandam, quae in parte vulneris exiſtit, vbi v. c. pars lardi inſtar propullulat. Forte etiam admoueri idem commode poterit, ad oſſa carioſa. Ex reliquis vero cauſticis, mercurius praecipatus ruber, ſi, cum quadam pinguedine miſtus, vnguenti ſub forma telae celluloſae quodammodo induratae adplicatur, egregiam vtilitatem praeſtat. Non enim duriore quadam eſchara facta, quae in tali vulnere minime deſideranda eſt, illas partes exedit, ſed quaſi fundit et ſuppuratione diſſipat [n]). Eundem tamen effectum ab extracto quoque cicutae et ſaturni, de quo modo diximus, obſeruauimus. Si forſitan in fine curationis cicatrice fere clauſa tenue ſerum proceſſerit, quod non mali odoris eſt, ſola vt plurimum ſaturnina ſufficient [o]). In qualibet praeterea deligatione chirurgus vulneris labia ad ſe invicem adducat, illamque adductionem faſciarum et puluillorum adplicatione adiuuet. Atque ſub hac quidem vulneris cura non modo ex omni vulneris ambitu cicatrix naſcitur, ſed et haud raro in medio vulnere ex papillulis progerminantibus macula alba oritur, quae denſior facta, et in latitudinem expanſa, cum cicatrice ex vulneris margine procedente concreſcit [p]). Debet vero cicatrix parua eſſe, cuti circumpoſitae aequalis et firma, quae tamen muſculo vel ceteris ſubiectis partibus non adhaereat. Profunda et depreſſa, in obeſis potiſſimum, plurimum periculi habet, cum calloſa ſit, eaque rupta fungoſa caro facile iterum excreſcat. Chirurgus itaque cauſticis et compreſſione fungum ita coërceat, vt bona caro in inferiore parte pronata perfecte vulnus claudat. Si vero cicatrix pectorali muſculo adhaereat, neque ſuper illum, nulla celluloſa tela in-

 ter

vulnere ſurgit, et ex pluribus tuberculis conſtat, neque malae eſt indolis. Alius laxiorem habet ſtructuram et in vnam maſſam concretus eſt. Hic ſubito increſcit, facile carcinomaticus fit et haemorrhagiis funeſtis anſam praebet. In hac ſpecie cauſtica ſine fructu ſunt.

n) Vid. SHARP. p. 33. HEVERMANN vero etiam mercurium praecipitatum album c. balſamo ARCAEI laudat.

o) Ceruſſam laudat PALLVCCI p. 165.

p) Idem hoc iam obſeruauit LE DRAN *Mem. de Chir.* T. III. p. 27.

ter hanc et muſculum interpoſita, libere moueri ſe patiatur, quod inprimis eo muſculo in ſeparatione mammae laeſo accidit, facile ſub vehementiore quadam corporis agitatione cicatrix diſrumpitur: ex qua ruptura vlcus plerumque fit, nullis remediis temperandum. Atque hoc quidem infortunium facile accidere exemplum probat viri ſuperius adductum q); aliudque foeminae cuiusdam, que poſt exſtirpationem tumoris in mamma, cicatricem nacta erat, adeo quidem paruam, vt vix trinummum magnitudine aequaret, quae tamen arctiſſime muſculo adhaerebat. Ea praeterlapſo iam anno integro, poſtquam clauſa erat cicatrix, ſaltando, monita medici qui curam eius habuerat negligens, corpus cum paulo vehementius agitaret, ſub iſto motu experta eſt id, quod diximus, vt ſudore et induſii frictione cicatrix rumperetur, qua ex ruptura breui poſt peſſimus cancer natus eſt. Abſoluta tandem eiusmodi aegrae cura, in vniverſum bona diaeta requiritur, quo, quantum quidem fieri poteſt, carcinomatis reditus impediatur. Lactis vſus inprimis mihi videtur commendandus, non ſolum ad reſtaurationem virium corporis, ſed propterea, quod obſeruationibus iam confirmatum ſit, victum ex lacte et pane biscocto multum aduerſus cancri generationem valere r). Poſſet tamen his omnibus adiungi corticis quoque peruviani et cicutae vſus. Potio danda eſt ptiſana; poſſuntque etiam alia remedia ad primas vias ſanguinem et reliquos humores purgandos idonea, pro diuerſa indicatione vſurpari. Venaeſectio praeſeruatoria in plethoricis, iis quae menſtruum fluxum non experiuntur, et quae ſanguinem nimis ſpiſſum habent, omnino vſum praeſtat. Fonticulornm vero brachio lateris adfecti, vel vtrique etiam adplicatorum uſum eſſe maximum, plures ſcriptores teſtantur s). Veluti etiam

q) Vid. ſup. §. 1. not. a.

r) Vid. PLATNER §. 269. vt alios taceam.

s) v. c. MONRO *Med. Eſſ.* I. ſup. cit. p. 95. LE DRAN *Mem. de Chir.* T. III. p. 35. Vbi et de patre ſuo narrat, eum nonnunquam cauterii ope fonticulum in ipſius cicatricis medio excitaſſe, quod tamen conſilium nunquam felicem exitum habuit neqne habere potuit.

etiam ipſe tale exemplum vidi, vbi dolores lancinantes in vulneris loco, et in altera mamma orti, poſt duorum fonticulorum applicationem plane ceſſabant. Quare minime aſſentire poſſum Cel. ASTRVC, qui eorum in hac re vſum fruſtra tentari putat [t]). Ipſa tandem cicatrix tegatur leni emplaſtro plumbato vel molliſſima aluta, ne aer aut veſtium attritus ipſi noceat, et cautio adhibeatur, ne ea externa quadam iniuria, vel violentiore corporis motu rumpatur. Attamen non omne ſerum tenue quod ex ea exſudat, ſtatim cancri reditum indicat, cum nonnunquam malum hoc medicamentis cedat [v]), er ipſe viderim, ſemper ex tali cicatrice ſub menſtruorum acceſſum tenue ſerum non acre exſudaſſe. Quodſi vero cancer, tota mama iam exſecta, tamen in parte cicatrici proxima reuertatur, vix altera vice operatio ſuſcipienda eſt. Tuto enim colligi poteſt, vitium iſtud in corpore iam nimis altas radices egiſſe; neque inſtitui exſtirpatio, tela celluloſa vel plane deficiente, vel calloſa iam facta, commode potuerit. Scirrhum vero in alia corporis parte ortum, ſtatim poſt priorem operationem exſtirparem, ſi ferro detur acceſſus ad locum affectum. Si autem vterus ipſe carcinomate adfectus eſt, quod ſaepe accidiſſe obſeruarunt medici, malum plaerumque ad eum gradum deveniſſe videtur, vt vix vllam medelam admittat. Atque idem hoc de phthiſi ex ſcirrho pulmonis in eiusmodi foeminis orta valere, plures obſeruationes teſtantur [x]).

t) *Mal. des fem.* T. VI. p. 121.

u) Cicatricem ex vehementiore animi commotione ruptam, ope ſedi minoris ſanauit QVESNAY teſte GARENGEOT p. 419.

x) Vid. LE DRAN l. c. Obſ. XXII. et XXXI.